Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
2 H A
25

ELEGANTIARVM LAVRENTII VALLAE LIBRI VI,

Carmine perſtricti: cum breuiſſimis iiſdémque doctiſſimis ſcholiis.

Ioanne Roboamo Rauerino authore.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE



LVTETIÆ,

Apud Carolum Stephanum, typographum Regium.

M. D. LVII.

IOANNES ROBOAMVS RAVE-
rinus viro cùm humaniſſimo, tum doctiſſimo, Ioanni Petito, Flauinienſi Canonico S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Tanta eſt apud omnes, quotquot verè ſunt homines, virtutis exiſtimatio, Ioannes amice, vt propter eam non eos ſolùm, quibuſcum vſu coniuncti fuerimus, ſed eos etiam, quos nunquã viderimus, quodammodo diligamus. Nihil enim eſt (authore Cicerone) amabilius virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum. Tua itaque ſingularis vitæ probitas, egregia morum dexteritas, & magna in omnes munificentia, id apud me egerunt, vt te non tantùm diligerem, verùm quodam etiam indiſſolubili amore vnicè proſequerer. Porrò, vt aliquem amicitiæ noſtræ ſignificationem darem, hoc in ſex Laurentij Vallæ Elegantiarum libros, carmen tibi dedicaui: non quòd velim in hoc tua ſtudia remorari, quippe qui in maiora grauioráque negotia incumbas: ſed eo potiſſimùm nomine, quòd plus authoritatis arbitror hoc habiturum vel apud Flauigneios iuuenes, vel apud alios, ſi tibi probetur. Hoc igitur quale quale Elegantiarum carmen ex chartacea noſtra ſupellectile depromptum, candido vultu excipies, & exceptum, tuo graui exactóque iudicio perpendens, æqui boni facies. Vale. Lugduni ad Calend. April. anno à ſalute mortalibus reſtituta, M. D. XLI.

AD BENE NATAM *iuuentutem.*

Quæ cupis ornari Latio(bene nata iuuentus)
Eloquio,præſtans hoc tibi carmen habe.
Barbarie eiecta,paucis Latialia pandet
Verba tibi:paucis hoc eme,diſce,tene.

AD BENEVOLVM *Lectorem.*

Nos ſcripſiſſe ſcias(amice Lector)
Hoc tantùm pueris quidem benignis:
Et non Zoileis viris nefandis.

AD ZOILVM.

Zoile non legito,non hoc tibi, Zoile,ſcripſi:
Hoc tibi non ſcripſi,Zoile,non legito.

IOANNIS ROBOAMI RAVErini in Laurentij Vallæ Elegantias Liber I.

De nominibus, quorum ablatiui plurales exeunt in abus. Cap. I.

NVnc equa, mula, dea, atque ambæ, liberta, duæque,
Filia, nata ſimul, ternis, flectuntur in abus.

Octo nomina fœminini generis primæ declinationis, faciunt datiuos & ablatiuos plurales in abus: vt, Filia filiabus, mula mulabus, &c.

De verbalibus exeuntibus in atio. Cap. 2.

Ctum vel itum primæ verbale per atio format,
Et per itus quondam. Sed lotio, potio dices.

Supina primæ coniugationis in ctum vel in itum terminata, faciunt verbalia fœminina in atio: (licet quædam maſculina in itus exeant) vt, Cubo, cubas, cubui, cubitum, cubatio, & cubitus: ſono, ſonatio, & ſonitus: frico, fricatio, & frictus. Poto tamen, & lauo, potio, & lotio, potatio aliquando, & lauatio donant. Potio. Lotio.

De hoc nomine Ludicrum. Cap. 3.

Mobile Ludicrum dices, fixúmque ſecundæ.

Ludicrus, vel ludicer, ludicra, ludicrum, ſecundæ declinationis eſt, & non tertiæ: quicquid nomine ludicri dicitur, ſignificans. Subſtantiuum autem Ludicrum, ludi-

cri,pro omni ioculari opere & luſorio ponitur.

De hoc nomine Ficus. Cap. 4.

Hæc arbor Ficus quartæ,fructuſque ſecundæ.
Donat & hic,morbus: non quartam maſculus optat.

Ficus pro arbore,ſecūdæ & quartæ declinationis,generis eſt fœminini. Pro fructu verò,maſculini & fœminini, quartæ,& ſæpius ſecundæ declinationis: ſed pro morbo generis eſt maſculini,ſecundæ tantum declinationis. Nam per ſecūdā ſemper declinatur, quum maſculinū eſt. Vnde

Ficulnus. *adiectiuum, Ficulnus,ficulna, ficulnum: nō Ficulneus,ficulnea,ficulneum,pro materiato ex illa arbore ponitur.*

De nominibus Diminutiuis. Cap. 5.

Et genus,& formam, ſenſúmque Minuta requirunt.

Diminutiuum,quod diminutionē ſui primitiui abſolutè ſignificat,tria,nempe genus,formā,& ſignificationem, cum acceſſione diminutionis expoſtulat: vt,Piſcis piſciculus,mater matercula,munus munuſculum. Tribus pariter de cauſis inuētum:Neceſſitate,vt Regulus:Modeſtiæ gratia,vt Ingeniolum: Adulationis cauſa,vt Corculum.

De formatione Diminutiuorum primæ & ſecundæ declinationis.

Vltima vocalis per ulus primæ atque ſecundæ eſt:
Sed per olus fit ius,vel eus:ſimul er dabit ellus.

Nomina primæ & ſecundæ declinationis,ſæpe mutāt vltimam vocalem nominatiui per ulus,ula,ulum: vt,Muſa muſula,paruus paruulus. Excipiuntur tamen in ius,ia, ium,& eus,ea,eum,terminata: quæ per olus faciunt: vt, Vrceus vrceolus,ingenium ingeniolum. Demuntur etiam in er finita,quæ dant ellus: vt,Tener tenellus.

De Diminutiuis in culus, tertiæ, quartæ, & quintæ declinationis.

As,us,or,ósque dabunt ternæ culus,& cula quartæ:
Dat cula quinta tibi:in multis imitare peritos.

Nomina tertiæ declinationis in as,us,or,os, & multa alia,faciunt diminutiua in culus, à nominatiuo: vt,mas maſculus,ſoror ſororcula,munus munuſculum. Nomina *quoque quartæ declinationis ſua formant diminutiua in culus: vt,artus artuſculus.* Sed *nomina quintæ declinationis,ab ablatiuo faciunt cula. vt, res recula.* In *multis tamen imitandi ſunt authores probatiſsimi.*

De Diminutiuis ab er, & eorum varia formatione. Cap. 6.

Et ternæ culus,ellus habent lus, núſque ſecundæ:
Hinc nonnulla tamen tu demere nomina poſſes.

*Nomina tertiæ declinatus in er finita,formant diminutiua in culus: vt,pater paterculus.*In *lus vero,& nus ſecũdæ inflexionis faciũt per ellus: vt,oculus ocellus,bonus bellus.Quædã tamen excipiũtur:vt,palus paxillus,talus taxill⁹,ala axilla,mala maxilla,vnus vll⁹, & pauca alia*

De Diminutiuis in aſter. Cap. 7.

Diminuunt ſurdus,caluúſque,quod edit in aſter:
Cætera quæ aſter habent,nunc primitiua ſequuntur.

*Nomina in aſter, potius imitationem, quàm diminutionem ſignificant: vt,*Antoniaſter: *id eſt,imitator* Antonij. *Duo tamen,nempe* Surdaſter *&* Caluaſter, *diminutionem important: vt,* Surdaſter:*id eſt, vt ſic dicam,ſurdulus:*Recaluaſter,*recaluulus.*

De exeuntibus in rius,vel in rium,& eorum natura. Cap. 8.

Officium ſignat,quod in arius,ariáve exit:
Sed neutrum locus eſt. Actum orius,oriáve optat.
Dic ſignare locum natiuum,quod fit in etum.

Nomina in arius, maſculini generis, & in aria, fœminini, officia hominum qualitatémque ſignificant: vt, Caprarius: id eſt, cuſtos caprarum. Neutrum verò in arium, locum denotat vbi aliquid reponitur: vt, Tabellarium: id eſt, locus vbi tabellæ reponuntur. Vel rerum copiam: vt, Aluearium: id eſt, copia alueorum. Interdum res ipſas, vt Donarium: id eſt, donum. Nomina verò in orius, & oria, actionem indicant: vt, Accuſatorius, qui accuſat. Sed neutrum in orium, ſignificat locũ vbi aliquid fit: vt, Dormitorium, vbi dormitur. In etum præterea nomen, locum natiuum importat: vt, Spinetum, vbi ſpinæ: Dumetum, vbi dumi creſcunt.

De Euentu, Iuſſu, Permiſſu, & Iugero. Cap. 9.

Euentus, Iuſſus, Permiſſus, maſcula quartæ:
Aſt in plurali numero ſunt neutra ſecundæ.
Iugerum habet primus: pluralis iugera ternæ.

Euentus, Iuſſus & Permiſſus, in ſingulari numero maſculini ſunt generis, & quartæ declinationis: in plurali verò neutra, & ſecundi declinatus. Iugerum autem in ſingulari numero ſecundæ inflexionis, neutri generis: in plurali verò, tertiæ: quod ſignificat tantum terræ, quantum par boum vno die arare poteſt.

De adiectiuis in tilis, xilis, & filis. Cap. 10.

Adiectiua tilis, xilis atque filis, retinebunt
Participûm ſenſum: quibus hæc ſunt rite profecta.
Aſt habitatores ſignant à nomine ducta.

Adiectiua in tilis, xilis atque filis, ſuorum participiorum, à quibus veniunt, ſignificationem habent: vt, Coctilis later, qui coctus eſt. Quæ verò à nominibus veniunt, incolas, ſeu habitatores locorum ſignificant: vt, Aquatilis, Fluuiatilis: id eſt, aquæ & fluuij incola.

De adiectiuis in bundus. Cap. 11.

Præſens participis bundus cum ſæpe notabit.

Adiectiua in bundus.idem quod participia verborum frequentatiuorū præſentis temporis,à quibus fiunt,ſignificant:vt,Errabundus:id eſt,erritans,ſeu frequenter,vel ſæpe errans.

De exeuntibus in icus,quus,à Dico, Facio, & Loquor. Cap. 12.

Et dicus,atque ficus,quus,comparat entior apté.

Nomina in icus,à facio,& dico,& in quus,à loquor, faciunt comparatiuos gradus in entior,& ſuperlatiuos in entiſſimus: vt,Honorificus,honorificentior,honorificentiſſimus:ſic Falſidicus,Multiloquus,&c.

De exeuntibus in eus,aceus,& titius. Cap. 13.

Materiam puram dat eus,mixtam aceus affert.

Materia eſt,titius nomen.Sed paſſio,verbum.

Adiectiua in eus,materiam puram ſignificant: vt,Gladius ferreus,ex puro ferro. In aceus autem mixtam materiam denotant: vt Ferraceus,ex mixto ferro. Nomina verò in titius, quæ à nomine veniunt, materiam important:vt, Tectum ſtramentitium:id eſt,ex ſtramento. Sed quæ à verbo fiunt,paſſionem indicant: vt,Domus conductitia:id eſt,quæ conducta eſt.

De vi Comparatiui. Cap. 14.

Augebit ſenſum poſitiui,comparat id quod.

Quod magis exponit,niſi detur pro poſitiuo.

Comparatiuus gradus ſui poſitiui ſignificationem auget,licet rem ſubiectam aliquando minuat,qui pro magis exponitur:vt,Doctior,id eſt,magis doctus. Ponitur tamen aliquando pro poſitiuo: vt Virgilius,Triſtior,& lachrymis oculos ſuffuſa nitentes.id eſt triſtis.

Comparatiuum ad vnum, Superlatiuum, ad plura. Cap. 15.

Naturæ ſimilis duo,pars quæ comparat,optat
In patrio caſu:ſic quærit plura ſupremus.
Plura tamen varii generis,ſexto illa requirit,
Atque vter.Hic verò quæſitum quis,quid,habebit.

Comparatiuus ad duo, ſuperlatiuus ad plura imparia eiuſdē generis in genitiuo caſu referuntur. Illi interrogatiuū, vter, vtra, vtrū,donatur:huic vero quis,quæ,quod. vt,Vtra manuū eſt fortior?dextra.Quis digitorū eſt longiſsimus?medius. Si vero fiat comparatio inter duo, vel plura diuerſi generis.vtendum eſt comparatiuo in ablatiuo caſu:vt,Equus eſt fortior aſino,vel tribus aſinis.

De Quiſque, Quotus,Omnis,& Cunctus. Cap. 16.

Quiſque gradum capit hic vnúſque, quotúſque ſupremum,
Ordinis & numeros. Aſt Omnis vult poſitiuum.

Quiſque iungitur ſuperlatiuis gradibus,& nominibus ordinalibus:vt,Optimus quiſque gloria ducitur. Item his nominibus Quotus & Vnus: vt Optimus quiſque homo Chriſtianus vno quoque die rem Chriſtianam meditari debet. Omnis vero & Cunctus poſitiuis gaudent: vt,Omnis bene natus,parentibus obedit.

De Vt & Ita,Quò & Eò. Cap. 17.

Conſimileſque gradus Ita & Vt:ſed rite ſupremos
Poſcunt:Quò,vel Eò medios:ſed Per poſitiuos.

Vt & Ita conſimiles optant gradus, & eleganter ſuperlatiuos tam nominales, quàm aduerbiales. vt Cicero de Oratore, Vt quiſque optimè Græcè ſciret, ita eſſe nequiſsimum. Quò verò & Eò comparatiuis gaudent: vt,

Quò quiſque minor eſt, eò magis videri cupit. Imprimis autem, Per, Cũprimis, Præter cæteros, Ante alios, & ſimilia comparatiuis dantur: vt, Imprimis doctus, Perpulcher, Ante alios immanior omnes. Imprimis. Per. Cumprimis. Ante alios.

De Tantò & Quantò, Tantùm, Quantùm, & ſimilibus. Cap. 18.

Tantò & Quantò optant medios: Tantùm poſitiuos.
Tam & Quàm, dum ſignant tantum quantum, poſitiuos:
Pro tanto & quanto, depoſcunt comparat id quod:
Et ſine quo caſu cupiunt pro valde ſupremos.

Tantum & Quantum, & ſimilia in um finita, poſitiuis gaudent: vt, Tantum ſtultus, quantum magnus. Tantò vero, & Quãtò, & ſimilia in o, cõparatiuis iũgũtur: vt, Quãtò maior es, tãtò te geras ſummiſſius. Tam autem & Quàm, dum tantũ & quantũ ſignant, poſitiuis dantur: vt, Vir tam bonus, quàm doctus: id eſt, tantũ bonus, quãtum doctus. Aliquando tamen pro tanto & quanto: ſed raro comparatiuos habẽt. Sed pro Valde, ſuperlatiuis ſæpiſſime iunguntur: vt Hic eſt tam optimus, quàm iucundiſſimus: id eſt, valde bonus, valde iucundus. Tam. Quàm.

De Per & Quàm cum gradibus. Cap. 19.

Per, Perquam ſibi pro Valde poſcunt poſitiuos:
Et Quàm pro quãtum pro valde vúltque ſupremos:
Quàm vult pro quantũ, cũ Poſſum, ſæpe ſupremũ.

Particula Per, ſignificans Valde, & Perquam, poſitiuis gradibus iunguntur: vt, Perdoctus, vel Perquam doctus. Quàm autẽ pro quãtũ, poſitiuo datur: ſed pro Valde, ſuperlatiuo, vt ſuperius diximus. Aliquando tamen Quàm pro quãtũ ſuperlatiuũ habet: ſed ſolũ cũ his verbis, Poſſũ, Queo, & Valeo: vt, Scribã ad te quã breuiſſimè potero.

De Multò, Longè, Facilè, & Valde. Cap. 20.

Valde vult primos, Multò Longeque ſupremos
Et medios poſcunt: Facilè at donato ſupremum.

Valde poſitiuum requirit: vt Valde doctus: Longè autem & Multò, comparatiuos & ſuperlatiuos gradus habent: vt, Multò doctior, Longè doctiſſimus. Facilè verò ſuperlatiuis iũgitur, & his nominibus, Princeps, Primus, Secundus, quum ad dignitatem reſpicitur: vt, Facilè ſummus, facilè princeps, facilè ſecundus à rege.

De proprietate quadam Comparatiui. Cap. 21.

Non verè exceſſum ſexto vult, comparat id quod:
Rectius in neutro per quartum dicere poſſes.

Comparatiuus aliquando regit rem non verè exceſſam in ablatiuo caſu: ſed hic modus loquendi ita per accuſatiuum elegantiſſimus eſt, vt neutrum genus eſt eruditis gratiſſimum: vt, Tu maiorem laudem aſſecutus patre tuo, tuiſque maioribus: quod mihi gratiſſimum eſt, nihílque iucundius.

De compoſitis à Somnus. Cap. 22.

Compoſita à Somnus, terni ſunt atque ſecundi
Inflexus. Sed ſemper adeſto frequentior vſus.

Nomina à Somnus compoſita, tertiæ & ſecundæ declinationis, in frequentiori vſu veniunt vſurpanda: vt Inſomnis, per tertiam ſæpius, quàm inſomnus per ſecundam declinationem: & Semiſomnus, per ſecundã potius: quàm Semiſomnis, per tertiam declinamus.

De exuntibus in oſus. Cap. 23.

Copiam & affectum ſignat, quod format in oſus
Nomẽ, & à ſexto nõnunquã. Quod quoque verbum,
Actio, paſſióve eſt quædam, vel ſignat vtrunque.

Nomina in oſus deducta à nominibus, quæ ferè formãtur

ab ablatiuo, affectionem ſignificant,ſiue copiam: vt Mulieroſus,qui affectat mulieres. Pecunioſus,qui copiam pecuniæ habet. Quæ verò à verbo deſcendunt, aut actionem, vt Faſtidioſus, qui faſtidit: aut paſſionem vt Inuidioſus:id eſt,cui eſt inuidia: aut vtrunque denotāt: vt Laborioſus,Formidoloſus,qui formidat,vel qui formidatur.

De verborum formis. Cap. 24.25.& 26.

Verborum ſpecies reperiri dicito quinque.
Eſt Meditatiuum verbum,quod ponitur in ſco. Meditatiuū.
Incœptiua feras in ſo,quæ tertia flectit. Incœptiuū.
Quæque ſupina creant in ſo, ſiue in to,frequentant. Frequentatiuum.
Quod rio dat verbum, deſiderat, & minuit lo. Deſideratiuum. Diminutiuum.

Quinque ſunt ſpecies verborum: nempe Meditatiuum in ſco,quod meditationem ſignificat,vt Caleſco. Inchoatiuum in ſo, tertiæ coniugationis, vt Faceſſo. Frequentatiuum in to, & in ſo, primæ coniugationis, vt Lectito, Curſo. Deſideratiuum in rio,quartæ, vt Parturio. Diminutiuum in lo,vt Sorbillo.

Vbi infinitiuo, vbi gerundio potius vtendum ſit. Cap. 27.

Infinitiuum depoſcit mobile:verùm
Nomen participans,& fixa,gerundia per di.

Adiectiua nomina, & mera participia infinitiuis iunguntur:vt,Dignus honorari,peritus cantare. Nomina verò ſubſtantiua, & Participia facta nomina, gerundia in di aſciſcunt:vt,Tempus eſt ſtudendi,peritus cantandi.

De Fore. Cap.28.

Nunquā participans, Fore,ſed bene nomen habebit.

Fore ſignificationem participij futuri temporis habens,cum nomine,& non cum participio ponitur,ne duo participia confuſa viderentur: vt,Scio te amatorem fore,

vel amicum, & non amaturum fore.

De Gerundiis & Supinis. Cap. 29.

Verba ſupina, Gerundia participalia dicas:
Quæ nihil antè regunt, poſt caſus ferto ſuorum.
Quattuor inflectunt Romana gerundia caſus:
Primus dum retinet, ſic quartus, díque ſecundus,
Sed do caſus habet, poteris quem dicere ſextum.

Supina, quia neque genus, neque numerum, neque caſum habent more nominum, non nomina, ſed verba cenſenda ſunt. Gerundia verò verba ſunt participalia: nam caſus habent, ſuorúmque verborũ caſus poſt ſe retinent. vt, Sum hic cauſa audiendi lectionem. Quatuor enim habent caſus, Nominatiuũ in dum, vt Petendum: Genitiuum in di, vt Petendi: Accuſatiuum in dum, vt Petendum: & Ablatiuum in do, vt Petendo. Differunt tamen à Participiis: nam participia ſignificant tempus ſine rei adminiſtratione: Gerundia verò rei adminiſtrationem ſine tempore. Conſtruuntur autem Gerundia in di, cum nominibus ſubſtantiuis: vt, Tempus eſt cantandi. In dum, poſt verba ſignificantia motum ad locum, vel quietem, mediante præpoſitione ad vel in: vt, Vado ad audiendum, Sto ad audiendum. In do verò ſæpe cum his præpoſitionibus de, è, ex, pro, præ, ab, abs, cum, in, & ſimilibus: vt, In tribuendo ſuum cuique: & plerunque ſine præpoſitione, vt Hos accuſando, illos occidẽdo, totam ciuitatẽ labefactaſti.

De ſupino in um. Cap. 30.

Prima ſupina volunt verbum, quod ſignat eundi
Motum, atque actiuè poſt ſe caſus retinebunt.

Supina in um, quæ, vt ſuperius diximus, verba ſunt (Nam poſt ſe regunt caſus ſuorum verborum, præcipuè actiuorum) cum verbo importante motum conſtrui vo-

lunt: vt, Scio *te lectum ire lectionem.*

De ſupino in u. Cap. 31.

Paſſiuè ſignant potius ſuprema Supina,
Ex adiectiuo perpulchrè nomine recta.

Supina in u, paſſiuè potius quàm actiuè ſignificant: nam à verbis paſſiuis deduci creduntur. Ipſa tamen paſſiuorum caſus non regunt, ſed ab adiectiuo nomine reguntur: vt, Res *iucunda relatu.*

De participio præteriti temporis, ſignificante actionem, & præſentis paſſionem. Cap. 32.

Participans aliquod paſſiuæ vocis habebit
Actiuum ſenſum: è diuerſo dicere poſſes.

Quædam participia vocis paſſiuæ, ſignificationem actiuam retinent: vt, Circun*ſpectus, qui circunſpicit, non qui circunſpicitur.* Et *è diuerſo, quædam actiuæ vocis participia paſſiuè ſignificant: vt,* Euidens *negotium, non quod videt, ſed quod manifeſtum eſt.*

Participium præſentis, pro præterito. Cap. 33.

Vſurpant præſens pro participante diei
Præteritæ, tantùm quum ſignificatio ridet.

Grammatici participium præſentis temporis, pro participio præteriti, quo carent, aliquando ſubſtituunt, vbi ſignificatio placet: vt Cicero, *Quum è* Sicilia *diſcedens,* R*hodum veniſſem.* Hîc Di*ſcedens ſubſtituitur pro præterito, quod non eſt in vſu. præteritum enim tempus importat oratio.*

De compendio Participii. Cap. 34.

Reddit participans ſermonem lucidiorem.

P*articipiũ orationẽ noſtram efficit elegantiorẽ: vt, Mulieres ornant ſeſe, ne viſæ derideãtur: elegantius dicitur, quàm, Mulieres ornãt ſeſe, ne videãtur & derideantur.*

De participiis in ens, in ſubſtantiuum tranſeuntibus. Cap. 35.

Præſens participis pro certo dicito fixum:
Si tamen incertum fuerit, neutri generis ſit.

Participia præſentis temporis, eius ſunt generis, cuius ſunt ſua ſubſtantiua certa, ſiquando ſubſtantiuantur: vt, Oriens, Occidens, maſculini generis, quia facilè intelligitur Sol. Conſonans, fœminini generis pro litera. Si verò ſubſtantiuum fuerit incertum, tunc in neutro genere ſubſtantiuantur: vt, Antecedens, Conſequens.

Participium futuri temporis. Cap. 36.

Participans in rus, dus, fit ſine tempore nomen.

Participia futuri temporis in rus, qualitatem, & in dus, dignitatem ſignificantia, amiſsione temporis fiunt nomina: vt, Venerandus homo. Prætermiſſurus id dixit.

De Repetundis, & Repetundarum. Cap. 37.

Caſibus his flectas Repetundarum, Repetundis.

Repetundarum & repetundis tantum his caſibus declinandum eſt, quibus ſignificatur actio quæ cadit in eos, qui vi, aut dolo aliquid ſurripuerunt: vt, Verres accuſatus eſt repetundarum, vel repetundis.

LIBER SECVNDVS.

De Mei, Tui, Sui. Cap. 38.

Ctiuè ſignat vel paſſiuè genitiuus
A Vel poſſeſſiuè: te gloſſa exempla docebit.
Actiuè, mis, tis, ſis, noſtrum, ſic quoque veſtrum.

Paſſiuè noſtri, veſtríque, meíque, tuíque,
Atque ſui, ſignant: aliis donabis vtrunque.

Omnis genitiuus aut actiuè ſignificat, vt Prouidentia Dei, *qua* Deus *prouidet: aut poſſeſſiuè, vt* Regnum Dei, *quod* Deus *poßidet: aut paßiuè, vt* Cultus Dei, *quo* Deus *colitur. Sunt autem quinque* Genitiui *actiuè tantùm ſignificantes, nempe* Mis, Tis, Sis, Noſtrum *&* Veſtrum: *ſed* Mis, Tis, Sis, *nũc exoleuerunt, pro quibus* Meus, Tuus, Suus, *ſunt in vſu. Quinque etiam paßiuè ſumuntur,* Mei, Tui, Sui, Noſtri *&* Veſtri, *primitiuæ ſpeciei: reliqui verò actiuè vel paßiuè ſumuntur: vt* Suſpicio *vxoris: id eſt, quam habeo, vel quæ habetur de vxore. Vnde fit, vt* Vtilitas *mea, & vtilitas mei, differant.* Nam *vtilitas mei, paßiuè eſt, quæ de me habetur:* Vtilitas *mea, poßeßiuè, quam ego habeo.* Neque *tamen ſic in omnibus: nam pulchritudo mei, non dicitur, ſed mea: ideóque conſulendus eſt orationis ſenſus. dicitur enim, pars mei, pro membro: & pars mea, pro hæreditate, & in ſimilibus.* Notandũ *eſt præterea hæc pronomina,* Meus, Tuus, Suus, Noſter *&* Veſter, *poſſeßiuè ſignificare, quum his interpoponuntur genitiui participiorum præſentis temporis, & hi genitiui,* Vnius, Ipſius, Solius: *vt,* Exaudi *vocem meam clamantis ad te.* Tuam *ipſius animam pertranſibit gladius. Quæ pronomina poſſeßiua in ablatiuo caſu fœminini generis iunguntur his verbis,* Intereſt *&* Refert: *&* Mea, tua, ſua *refert, & intereſt, dicimus: & non, mei, tui, ſui refert.* Non *enim licet his genitiuis primitiuæ ſpeciei dare ſignificationem actiuam. Quos etiam genitiuos,* Mei, Tui, Sui, Noſtrum *&* Veſtrum, *ſubſtantiuum in conſortio ſuo non ſuſtinet: vt non dicimus,* Eges me Priſciani, *ſed mei, qui ſum* Priſcianus.

De Meme, Tete, Seſe. Cap. 39.

Dic meme, tete cum Patho, qua ſine ſeſe.

Tria pronomina in accuſatiuo geminari ſolent: vnum ſine figura, nempe Seſe*: duo verò cum figura,* Meme, Tete*: figura autem hæc,* πάθος*, id eſt affectus, dicitur.* Duæ *enim mouendorum affectuum ſunt ſpecies,* πάθος *&* ἦθος.

De Noſtras, & Veſtras, & Cuias. Cap. 40.

Noſtras, & veſtras, cuias, patriámque, genúſque,
Et partes aliquas, quandam ſectámque notabunt.

Noſtras, Veſtras, & Cuias, non ſolùm patriam & nationem, ſed etiam partes, & quaſi ſectas innuunt: vt Cuias es? patria Rauerinus*: natione* Roboamus*: ſecta Chriſtianus.*

De Hic, Iſte, & Ille. Cap. 41.

Iſte ſecundus erit, ſi hic primus, tertius, ille:
Iſte tamen ſpernit: Sed præſtans eminet ille.

Hic hæc hoc, ad primam perſonam, ſeu ad primum locum: iſte ad ſecũdam: ille verò ad tertiam perſonam, vel ad tertium locũ refertur: vt Quid *hîc agitur? id eſt, apud me:* Iſtic *audies: id eſt, apud te: per illum nuntium.* Et *ſic de eorum compoſitis & condeclineis: vt, hic, iſtic, illic: hinc, iſtinc, illinc: huc, illuc, iſtuc, & cætera.* Iſte *tamen per contemptum: vt* Iſte *nebulo:* Ille *verò ad dignitatem aliquando ponitur: vt* Magnus *ille* Cato.

Hinc. Iſtinc.
Illinc. Huc.
Iſtuc. Illuc.

De Hic, Is, Idem, & Adhoc. Cap. 42.

Hic mihi proximus eſt, is longior, & ſimul idem:
Præterea ſignabit adhoc: Etiam notat idem.

Hic de propinquiore, Is *verò de remotiori dicitur: ſæpe tamen alter pro altero ponitur: vt,* Qui *virtutem diuitiis præfert, is ſanè fortis eſt, vel hic ſanè fortis eſt.* Elegantius *tamen per* Is *loquimur, quàm per* Hic*, cum coniun-*

ctione copulatiua: vt, *Eſt mihi vnica veſtis, & ea detrita.* Idem *verò compoſitũ ab is & demum, ſignificat etiam: ſed coniunctionem reſpuens, quam petit ſimplex is:* vt, *Eſt vir beneficus, quem eundem benignum appellare licet.* Adhoc *etiam compoſitum, idem quod præterea denotat.*

De Cum præpoſitione. Cap. 43.

Cum ſibi vult comitem, non inſtrumẽta requirens.

Cum præpoſitio dictionibus inſtrumenta ſignificantibus non iungitur: inſtrumenta enim agendi, in ablatiuo per ſeptimum caſum ſine præpoſitione ponuntur: vt, *Percuſſiſti me gladio: & non, cum gladio. Inſtrumenta verò quæ comitantiam ſignificant, in ablatiuo cum præpoſitione efferuntur:* vt, *Magno cum honore ſe recepit.*

De Circiter. Cap. 44.

Circiter & tempus, numerúmque, locúmque notabit.

Præpoſitio Circiter, *ad tempus,* vt Circiter Calendas Ianuarias: *ad numerum,* vt Circiter decem miliaria: *& aliquando ad locum refertur:* vt Caſsius, *Lapidem fuiſſe quadratum circiter in media arce iunctum.*

De Tenus, Verſus & Vſque. Cap. 45.

Et tenus, & verſus, pariter poſtponitur vſque.

Hæ tres præpoſitiones Tenus, Verſus, & Vſque, *in orationibus poſtponi ſolent:* vt, *Lugdunum verſus, aurium tenus, & ad capitis verticem vſque ſubmerſus eſt.*

De Tenus. Cap. 46.

Res geminas patrio tenus optat: cætera ſexto.

Tenus præpoſitio, rerum geminatarum, vel nominis tantùm pluralis numeri genitiuum habet: vt, *Aurium tenus.* In *reliquis verò ablatiuũ poſtulat:* vt, *Capulo tenus: id eſt vſque ad, vel non vltra capulum.*

De Pridie & Poſtridie, aduerbiis. Cap. 47.

Quæ prior atque dies aduerbia poſterus edunt,
Et patrium quartúmque regunt cum tempore bino.

Pridie & Poſtridie genitiuum & accuſatiuum poſt ſe regunt, tempúſque præteritum & futurum important: vt Pridie & poſtridie Calendarũ, vel Calẽdas Februarias.

De Hei, Heu, & Heuheu, Væ, Procul. Cap. 48.

Heu primũ, & quartum: geminatũ nil regit heuheu.
Hei & væ dant tertium, quondam quartum Procul optat.

Heu ſimplex nominatiuum & accuſatiuum habet, vt Heu miſer: vel Heu me miſerum. Geminatum verò nihil regit, vt Heuheu quid volui miſero mihi. Hei autem & væ datiuum poſtulant, vt Hei mihi, Væ miſero. Procul autem aliquando accuſatiuum capit, vt Procul vrbem.

De quibuſdam Aduerbiis accuſatiuum regentibus. Cap. 49.

Proximus & propius, veluti prope iungito quartum.

Quædam aduerbia comparatiui & ſuperlatiui gradus, præter ſuam conſtructionem ablatiui & genitiui, regunt aliquando accuſatiuum caſum: vt, Propius, vel proximus vrbem. Nam à prope accuſatiuũ habente veniunt.

De prolata O, vel omiſſa. Cap. 50.

O ſibi vult primũ, quartum, quintũ quoque caſum.
O tamen in quarto, ſi eſt indignatio, ſubſit.

O aduerbiũ nominatiuo, accuſatiuo, & vocatiuo indifferenter iungitur: vt O fortunati iuuenes, vel O fortunatos. Aliquãdo tamen in accuſatiuo caſu ſubintelligitur: vt, Te hominem nequam: id eſt, O te hominem nequam.

De Me, cum infinitiuo & accuſatiuo. Cap. 51.

Cum quarto infinitus erit reticentia verbi.

Accuſatiuus cum infinitiuo aliquando ponitur ſine verbo, quicum infinitiuus conſtruitur, per apoſiopeſin, id eſt, per verbi reticentiam: vt Virgilius, Méne incœpto deſiſtere victam? Subaudi Oportet, iuſtum eſt, aut ſimilia.

De En, Ecce, & ſuis compoſitis. Cap. 52.

En ſibi cum quarto primum depoſcit, & ecce.

En & Ecce nominatiuo & accuſatiuo iunguntur: vt Virgilius, En Priamus. Vnde eccum, eccam, eccos, eccas, Eccum.
Ellum, ellam, ellos, ellas, per compoſitionem dicimus, quæ Ellum.
verius per aduerbium ſic exponuntur: vt Eccum, id eſt ecce hîc eum: ellum, ecce illic eum. Eccos, ecce hîc eos: ellos, ecce illic eos. Hem verò aſpiratum, comicum eſt. Hem.

De Age, Agite, Agedum. Cap. 53.

Dic age cum primo numero: aſt Agite adde ſecũdo.
Ac age compoſitum cum dum, depoſcit vtrunque.

Age ſingularem numerum deſiderat, Agite verò pluralem, Agedum autem vtrunque: vt Virgilius, Quin age, ſi quid habes, &c. Vos agite. Tu vel vos agedum.

De An & Aut, Ne, Vel, Ve, & eorum conſimilibus. Cap. 54.

Quærunt & dubitant de certo an, nónne, ne, nécne:
Diſtingunt, dubitántque ſimul de partibus aut, vel.

An, Nónne, Ne, & Nécne, ſunt interrogatiuæ inter partes, vt certò ſciamus vnam eſſe concedendam, de qua dubitamus: ideóque verbis dubitationis & inſciẽtiæ ſubiunctiui modi iunguntur: vt Neſcio an pater tuus viuat, an non: vel, viuat nécne. Sed aut, & vel, non interrogãt; at aliquando dubitant inter partes vtriuſque, vel omniũ. Ideóque verbis opinionis & ſciẽtiæ indicatiui modi do-

nantur: vt, Es tu futurus ſacerdos, aut mercator, aut lapicida, an nullus horum? vel, Tu es Gallus, aut Burgundus, aut Hiſpanus.

De Nedum, Non tantùm, Non modò, Non ſolùm. Cap. 55.

Spernit verumetiam, ſimiles quoque, dictio nedum:
Affirmando, minus poſt dat, præfértque negando.

Nedum non exigens poſt ſe Verumetiam, Sedetiam, nec huiuſmodi particulas, id quod eſt maioris momenti, negatiuè poſtponit: vt, Non funderem pro te pecuniam, nedum ſanguinem. Affirmatiuè verò maius præfertur, & minus poſtponitur: vt, Funderem pro te ſanguinem, nedum pecuniam. Qui modus dicendi per Tantum abeſt, ſic etiam dici poteſt: vt, Non funderem pro te pecuniam, tantùm abeſt vt vitam: vel, Tantum abeſt vt pro te vitam funderem, vt non pecuniam quidem.

De Niſi. Cap. 56.

Vult in fronte, modo primo Niſi dictio iungi:
In medio primum, ſubiunctiuúmque requirit.

Coniunctio Niſi, in principio clauſulæ indicatiuo iungitur: vt, Niſi fortè putamus: in medio verò clauſulæ indicatiuum vel ſubiunctiuum expoſtulat: vt, Te pœnitebit, niſi ſtudes, vel niſi ſtudeas.

De Quòd. Cap. 57.

Gaudeo quòd ſcribis, quòd ſcribas, dicis vtrunque:
Sed volo quòd ſcribas, tantùm: ſimilis modus extet.

Particula Quòd poſita poſt Gaudeo, Lætor, Opinor, Credo, & ſimilia, indicatiuo vel ſubiūctiuo iungitur: modum tamen ſemper eſſe ſimilē oportet: vt, Gaudeo quòd ſcribis, & ſimul cātas: vel, Gaudeo quòd ſcribas & cantes. Poſita verò poſt Volo, Mādo, Impero, Iubeo, & ſimi-

lia ſubiũctiuum tantùm efflagităt: vt, Volo quòd ſtudeas.

De Quanquam, Etſi, Quanuis, Licet. Cap. 58.

Etſi principio, quanquámque, modũ dato primum:
Subiunctum indignum, ſed quanuis & licet optant.

Etſi & Quanquam, in principio orationis quandam dignitatem importantia, indicatiuum requirunt: vt, Etſi vereor Iudices. Quanuis & Licet, non tantam dignitatem habentia, ſubiunctiuum reſpectiuè volunt: vt, Quanuis adoleſcas, non tamen proficis.

De Cùm & Tum. Cap. 59.

Cùm minus, & tum quid maius des, indicat, huic quod:
Sed cùm pro quanuis, ſubiunctum poſtulat: Et tum
Pro quondam inuenies ſine cũ. Tum multiplicatur.

Cùm & Tum, iunguntur indicatiuis. Sed Cùm quid minus ſignificans, præcedit: Tum verò quid maius importans, poſtponitur: vt, Vir cùm doctus, tum bonus. Aliquãdo tamen Cùm pro quanuis (& id quidem ſequente Tamen) ſubiunctiuo iungetur: vt, Cùm multa ſcias, tamen adhuc ſtudes. Tum verò ſolet geminari, vel multiplicari, in rebus paribus: vt, Vir tum Grammaticus, tum Dialecticus. Interdum Tum reperitur pro quondam: vt, Cùm hoc, tum illud dicebat: id eſt, quondam hoc, quondam illud.

De Quidem. Cap. 60.

Diuidit, affirmátque quidem, diſtinguit & ipſum.

Tribus modis coniunctio Quidem accipi ſolet: Primo, ad diſtinguendas res, ſequentibus Verò & Autem: vt, Ego quidem ſum Gallus, tu verò Hiſpanus. Secundo, per conceſſionem huius quod affirmes, ſequentibus his dictionibus Verùm, Veruntamen, Sed, Tamen: vt, Torque-

bis quidem filium, ſed fatebitur mater. Tertio, *affirmatiue, quaſi pro certè, nulla ſequente harum particularum: vt Cicero, Aut enim nemo (quod quidem magis credo) aut ſi quiſquam eſt, ille ſapiens fuit.*

De Verò, Autem, & Porrò. Cap. 61.

Vnum ſignificant verò, autem, & ſubiiciuntur:
Attamen vtendo quicquam differre videbis.
Ordinis eſt Porrò communis, dum notat Autem.

Autem & Verò coniunctiones ſubiunctiui ordinis idem ſignificare videntur, differunt tamen in vtẽdo. Nam dicimus, Neque verò, & non Neque autem: Age verò, & non Age autem: in quibus & aliis conſulendi ſunt authores. Porrò autem communis ordinis, idem ſignificat quod vero: ſed pro longe & certe apud poetas nonnunquam reperitur.

De Siquidem. Cap. 62.

Compoſitũ ſiquidem eſt, nam diſiunctũ, quaſi certè.

Siquidẽ, cõpoſita dictio ex ſi & quidem, eſt cõiunctio rationalis, idem ſignificans quod nam: vt Quintilianus, Atque natura videtur ad tolerãdos labores nobis muſicã dediſſe. Siquidem remigem cantus hortatur. Quãdo verò duæ ſunt dictiones, conditionalis eſt coniunctio, pro certè poſita: vt, Eſt vir laude dignus, ſi quidem prudẽtiſſimus.

De Sin. Cap. 63.

Sin poſt ſi quærit partes perſæpe ſecundas.

Coniunctio Sin, in ſecunda parte, & ſæpius poſt Si ponitur: vt Terentius, Si illum relinquo, eius vitæ timeo: ſin opitulor, eius minas.

De Vtpote, Quippe, Profectò, Vtique, Nimirum, Nempe, Certè, Sanè. Cap. 64.

Vtpote, quippe, vtique, & nimirũ, nempe, profectò,

Significant ſiquidem·ſic certè,ſic quoque ſanè,
Vtpote:quippe tamen potius dic dicere cauſam:
Affirmant vtique,& nimirum,nempe,profectò,
Sic ſanè,& certè,quæ valde aliquando notabunt.

Quippe, Vtpote,Profectò, Vtique,Nempe, Nimirum, Sanè, & Certè, idem ſignificant quod ſiquidem. Sed Quippe & Vtpote pro cauſatiuis accipiuntur: vt Quintilianus, Plures reperias faciles in excogitando, & ad dicendum promptos: quippe id eſt homini naturale. Profectò autem & Vtique ſine dubio affirmant: vt Quis hæc renuntiauit? is profectò qui interfuit. Nimirum pariter, Sanè, Certè, & omnium maximè Nempe, affirmatiuè ponuntur: vt Cicero, Apud quem dico? nempe apud eum,qui me Reipub.tradidit. Interdum Sanè & Certè pro Valde ponuntur: vt Homo ſanè nobilis: id eſt, valde.

De Vt. Cap. 65.

Vt pro quippe,cupit referens,ſignátque ſecundum.

Particula Vt, ſequente relatiuo qui, quæ, quod, pro quippe, vel vtpote vſurpatur: vt Quintilianus, Non ignoro quos tranſeo, nec vtique damno, vt qui dixerim eſſe in omnibus vtilitatis aliquid. Aliquoties indicat quaſi ſecundum: vt Cicero, Multæ etiam, vt in homine Romano, literæ: id eſt, ſecundum quod ſcire ſolent Romani.

De Ab & Abs. Cap. 66.

Q vel T,petit abs:liquidas ſed ab,I quoque poſcit.

Ab duabus liquidis L & R, etiam I conſonanti adiungi ſolet, vt ab lege, ab rege, ab Ioue. Abs verò cum T, & Q: vt abs te, abs quolibet.

De Continuò,Statim,Protinus. Cap. 67.

Continuò ac Statim quadam cum parte negandi,

Non ideo ſignant: quibus vnà Protinus addes.

Continuò, Protinus & Statim, cum aliqua negandi particula(vltra propriam ſignificationem)ſignificãt idem quod Non ideo: *vt Quintilianus,Neque id ſtatim legenti perſuaſum ſit:id eſt,non ideo. Protinus autem pro Simul, aut pro Etiam,aliquando ſumitur:vt Virgilius,*

-quin protinus omnem Perlegerent oculis.

De Tantum abeſt. Cap. 68.

Tantum & abeſt,vnum vel duplex vt,ſibi poſcunt.

Hic loquendi modus Tantum abeſt, aut vnum, aut duplex Vt,poſt ſe retinet,qui per Nedum,aut non ſolùm, (vt ſuperius docuimus) dici poteſt: vt Cicero, Tantum abeſt ab officio, vt nihil officio magis poßit eſſe contrarium. Vel per duplex Vt, ſic dici poteſt: Tamen abeſt vt ſit officium,vt nihil officio ſit magis contrarium.

De Simul. Cap. 69.

Non geminat Cicero Simul:Aſt alii geminabunt.

Licet apud Ciceronem Simul geminatum non reperiatur,tamen apud Quintilianum,& pleroſque alios geminatum legitur: vt apud Quintilianum,Simul vt pleniore obſequio demererer amantißimos mei, ſimul ne vulgarem viam ingreſſus; alienis demum veſtigiis inſiſterem. Et apud Virgilium, Obſtupuit ſimul ipſe,ſimul perculſus Achates.Vnà,pro pariter, à Cicerone ſæpe geminari ſolet.

De Nudiuſtertius & Nudiuſquartus, Pridie & Poſtridie. Cap. 70.

Nudius & quartus,vel tertius,vtere tantùm.

Nudiuſtertius & Nudiuſquartus,tantùm dicimus, nec vltrà progredimur.Nam de die in quo ſumus, Hodie dicimus: de præcedenti,Heri: de alio tertio, Nudiuſtertius:

de quarto, Nudiuſquartus: de die autem qui hodiernum ſequitur, Cras dicitur: de ſequente Craſtinum, Perendie, à quo Perendino, perendinas, perendinare: id eſt, differre. Pridie autem & Poſtridie, tam præteritum, quàm futurum important, vt ſuperius patuit.

Dudum & Iandudum, Pridem & Iampridem. Cap. 71.

Dudum & iandudum, de paruo tempore dicunt:
Pridem & iampridem, nuper, de tempore longo:
Pro re inſiſtenti, præſens compoſta requirunt:
Cætera præteritum, ſed pro re quæ citò tranſit.

Dudum & Iandudum, de paruo tempore dicuntur. Pridem verò & Iampridem, & Nuper, de longo tempore, nempe, de centum aut viginti annis, aut plus minus. Conſiderandum eſt tamen, compóſita iandudum, iampridem, pro re inſiſtenti, præſens tempus habere: Sed nuper, pridẽ, & dudũ, pro re quæ non immoratur, ac citò trãſit, præteritum poſtulare: vt Dudum intraui, Iandudum te hîc expecto. Aliquando tamen Iandudum, pro Continuò ponitur: vt Virgilius, Iandudum ſumite pœnas.

Olim, Iamolim, Diu. Cap. 72.

Olim præteritum ſignat, tempúſque futurum:
Tempora longa diu, ſua quæ compoſta ſequuntur.

Olim, cum compoſitis Iamolim, Olimiam, tam de præterito, quàm de futuro tempore, & quidem magno, dicuntur: vt Quintilianus, Olimiam Imperator inter fulgentes virtutes tuas, liuor locum quærit. Olim verò pro Iandudum aliquando ponitur. Diu autem, cum compoſitis Tandiu, Iandiu, tantùm longum tempus important: ideóque verbis non momentaneam ſignificantibus actionem, ſed perſiſtentem atque diuturnam iunguntur: vt

Iandiu duxi vxorem, non dicemus, pro iampridem. Sed *rectè*, Diu *nauigaui, iandiu equitaui.*

De Velut, Veluti, Sicut, Quaſi, & conſimilibus. Cap. 73.

Vti. Tanquam. Ceu. Vt. Sicuti.

Per velut, & veluti, ceu, tanquam, fertur imago,
Pérque quaſi: verùm ſimilem rem ſicut & vt dant.

Velut, Veluti, Vti, Quaſi, Tanquam, & Ceu, imaginem quandam innuunt: vt, Iraſceris velut leo: id eſt, velut leo eſſes. Sed Sicut, Vt, & Sicuti, *ſimilitudinem important: vt, Iraſceris ſicut leo: id eſt, ſicut leo iraſcitur. Hæc enim tria per idem verbum exponuntur: illa verò ſex ſuperiora per verbum* Sum, es, eſt, *declarantur.*

De Non quia, vel Non quòd, Quò, & Quia. Cap. 74.

Non quia, vel non quòd, cauſam dant efficientem:
Finalem, vt, vel quò: quondam geminata videbis.

Quod & Quia, de cauſa efficiente dicuntur. Quò verò, & Vt, de finali: vt, Caſtigo te, non quòd odio habeam, ſed quo meliorem te reddam. Aliquoties tamen *geminata reperiuntur: vt, Caſtigo te, non quod odio habeam, ſed quòd amem: vel, Caſtigo te, non quò voluptatẽ habeam, ſed quò meliorem efficiam.*

De Facio vt, Committo vt. Cap. 75.

Committo vt, facio vt, ſignant quid, propter id ipſum,
Aut propter quiduis aliud: Cicero eſt tibi teſtis.

Committo & Facio, ſequente particula Vt, *ſignificant quid fieri propter aliud, aut propter idipſum quod fit: vt* Cicero, *Inuitus feci, vt* Caium *Flaminium de ſenatu eijcerem*. Et Idem, *Qui ſecundum naturam viuere volet, nunquam committet vt alienum appetat.*

De Quòd & Quum. Cap. 76.

Cũ verbis, Quòd, Quum, propriũ quid ferre vidĕtur.

Quòd & Quum, adiuncta verbis, peculiare quidpiam exhibent: vt Cicero, Augebat moleſtiam, quòd magna ſapientum penuria in ciuitate eſſet.

Cùm verbum ſignificans pro ſignificato accipitur. Cap. 77.

Significans verbum Quòd dat, pro ſignificato.

Particula Quòd, facit verbum ſignificans pro ſignificato accipi: vt Cicero, Mirari ſoleo, quòd nunquam tibi grauem ſenectutem eſſe ſenſerim: id eſt, nunquam (vt ſentio) grauis tibi fuit ſenectus.

Sub Tamen intelligitur Quanuis. Cap. 78.

Sub tamen appoſito, nonnunquã intellige quanuis.

Sub hac particula tamen, aliquãdo quanuis aut quanquam intelligitur: vt, Ex inuito ſolo nonnihil tamen fœcunditatis expreſſi: id eſt, quanuis eſſet inuitum ſolum.

De Duntaxat. Cap. 79.

Verumetiam poſt ſe duntaxat reſpuit, & ſed.

Duntaxat idem ſignificans quod ſolùm, reſpuit poſt ſe Verumetiam, Sed etiam: vt, Ita loquamur, vt ei tradamus ea duntaxat, quæ nos vſus docuit. Aliquando tamen cum Verumetiam repertum eſt: vt Paulus, Quum tutor non rebus duntaxat, ſed etiam moribus præponatur, imprimis mercedes præceptoribus, non quas minimas poterit, ſed pro facultate patrimonij, & pro facultate natalium conſtituet.

De Quandoquidem, Quando, & Quatenus. Cap. 80.

Quandoquidem, & quando, quoniã ſignare vidĕtur:
Quatinus adiunges per i, ſed per e, quatenus inſit.

Quandoquidem, Quando, & Quatinus per i, coniunctionis partis, idem ſignificant quod Quoniam: vt Virgilius, Quandoquidem Auſonios coniungi fœdere Teucris. Et idem, Hîc *tibi(fabor enim,quando hæc te cura remordet.) Plinius, Quatinus negatum eſt nobis diu viuere, relinquamus aliquid, quo nos vixiſſe teſtemur. Quatenus verò per e (vt multis placet) aduerbium eſt loci, aut temporis, idem ſignificans quod Qua fine: ſicut Hactenus,hac fine.*

De Ergo, Igitur, Quare, Quamobrem, Quapropter. Cap. 81.

Ergo,ſic Igitur, breuior concluſio quærit:
Sed quare, quamobrem, quapropter,maior habebit:
Ni forſan dicas,Facias ſic neſcio quare.

Ergo & Igitur,breuioribus adhibentur concluſionibus: vt Virgilius,Alternis igitur cõtendite verſibus ambo. Quamobrem verò, Quapropter & Quare, maiorem quærunt concluſionem: niſi fortè ita dicas, Neſcio quare ſic facias,quamobrem ſic loquaris.

De Adeò,Vſque eò. Cap.82.

Eſt adeò valde,aſt intantum ſæpius extat:
Vſque adeò, vſque & eò pariter, quibus vt dabis, aut non.

Adeò pro Valde aliquando reperitur: vt Terentius, iuuenem adeò nobilem:id eſt,valde nobilem. Sæpius tamen pro intantum accipitur,ſicut vſque adeò, & vſque eò: & id quidem ſequẽte particula Vt,vel non ſequente: vt Quintilianus, Quum protinus reſpondendum eſt, omnia parari non poſſunt, adeò vt paulò minus promptis noceat ſcripſiſſe:Vel ſine vt: ſic, Adeò paulò minus promptis noceat ſcripſiſſe.

De Quin, Quinetiam. Cap.83.

Vt non, quinetiam, & cur non, Quin ſignificabit.

Quin,trifariam accipi ſolet.Primo,pro vt nõ,& cum ſubiunctiuo modo:vt Virgilius,Hîc tibi ne qua moræ fuerint diſpẽdia tanti, Quin vatem inſanam aſpicias. id eſt, vt non. Secundo, pro quinetiam : vt Idem, Quin aſpera Iuno. Tertio,pro cur non,& his duobus modis cum indicatiuo reperitur : vt Quintilianus, Quin tu potius admittis iuuenis conſilij rationem:id eſt,cur non.

De Secundum. Cap.84.

In,pro,poſt,iuxta,dicas ſignare Secundum.

Secundum,præpoſitio,quatuor modis vſurpatur. Primo,pro in:vt,Secundum quietem:id eſt,in quiete. Secundo,idem quod pro,ſignificat:vt Secundum te litem do:id eſt,pro te.Tertio,idem quod poſt:vt Cicero,Proximè autem ſecundum deos , homines hominibus maximè vtiles eſſe poſſunt: id eſt,poſt deos.Quarto,pro iuxta ponitur: vt Quintilianus, Tu iaces ſecundum occaſionem: id eſt, iuxta occaſionem.

De Iam & Iamiam. Cap.85.

Tunc,& præterea,iam dicit,iam quoque verò:

Sed nunc eſt iamiam,pariter quaſi præcipuè iam.

Iam interdum pro Tunc ponitur: vt Cicero,Iam neminem antepones Catoni:id eſt,tunc.Aliquando eſt præterea,quaſi modus inter ſententias:& eo modo iamuero accipitur : vt Virgilius, Iam varias pelagi volucres: id eſt, præterea.Iamiam verò idem quod nunc,ſed de futuro dicitur:vt Iamiam aderit,id eſt,nunc aderit.Nonnunquam tamen figuratè per indignationẽ,aut miſerationem,quaſi, pro præcipuè,iam ponitur.vt Virgilius, Iamiam nec maxima Iuno, Nec Saturnius hæc oculis pater aſpicit æquis.

De Tantiſper, Paulıſper, Parumper, Donec, & Dum. Cap. 86.

Dum ſignans donec, poſt ſe tantiſper habebit:
Vſque ad quámque diu: nã dum, donécq; notabunt:
Quæ per componit, ſignant aduerbia tempus.

Tantiſper, poſt ſe dum pro donec, poſtulat: vt Terentius, Ego tantiſper te dici volo meum, dum id quod volo facies. Dum autem & donec duobus ſumuntur modis: Primo, pro quoad, ſiue vſque ad, & tunc ſubiunctiuum habent: vt Dabo operam literis, donec moriar: id eſt, vſque ad mortem. Secundo, pro quandiu ponuntur, cum indicatiuo: vt Dabo operam valetudini, donec viuo: id eſt, quandiu viuo. Cætera verò aduerbia in per terminata, ad temporis breuitatem referuntur, vt Parumper, Pauliſper, & ſimilia.

De Ferè & Temere. Cap. 87.

Quid temeréque, feréque, vniuerſale notabunt.

Ferè & Temerè, vltra proprias ſignificationes, nempe pene, vniuerſalitatem quandam ſignificant: ideóque cum ſigno vniuerſali raro ponuntur: vt Quintilianus, Hæ ferè emendatè ſunt loquendi ſcribendíque partes. Pro Ferè, inuenitur Temerè apud multos authores poſt Ciceronem, quemadmodum quædam alia, & quidem multa vocabula, poſt Ciceronis tempus, in vſu reperta ſunt, vt Proculdubio, Obiter, Quoties, Iterũ, Alioquin, Altàs, &c.

De Perinde, Proinde, Subinde. Cap. 88.

Si ſolum fuerit, dic æquè ferre Perinde:
Eſt ita, ſi poſt ſe fortè ac ſi, quámque ſequantur.
Proinde, ideo ſignat: ſit deinde, vel inde, Subinde.

Perinde, habẽs poſt ſe ac ſi, vel atque, vel quàm, ſignificat idem quod ita: vt Diligo te perinde ac ſi eſſes frater.

Si verò ac ſi, atque, vel quàm non ſequantur, ſumitur pro æquè: vt Plinius, Ruffi clariſſimi viri, & perinde fœliciſſimi: id eſt, æquè fœliciſſimi. Proinde autem ſignat ideo. Subinde verò vſurpatur pro inde, vel pro deinde: vt Horatius, Si dicet rectè, primùm gaudere: ſubinde, &c. Præterea, Item & Itidem, pro ſimiliter ponuntur. Itē. Itidē.

De Nunc. Cap. 89.

Nunc perquàm docti certo ſine tempore dicunt.

Nunc, citra propriam temporis ſignificationem, aliquando ſine tempore reperitur: vt Cicero, Nam ſi ita diceres, &c. nunc verò fateris, &c.

De Bene, & Malè, Peius, Peſſimè. Cap. 90.

Valde, fert bene, ſic malè: ſed peius dabis odi.

Bene & malè, pro valde aliquando ponuntur, non ſolùm in poſitiuo, ſed in comparatiuo & ſuperlatiuo: vt, Habetis orationem bene longam: id eſt, valde longam. Malè mihi timeo: id eſt, valde. Peius tamen cōparatiuum poſt ſe, & ſæpius hoc verbum Odi, habet: vt, Peius odi cane & angue.

De Super, Supra, Intra, Infra, & Subter. Cap. 91.

Contiguum Super, aſt quid diſtans, dicito Supra:
Intra, dat numerum, ſpatiúmque: Infra dat honorē,
Atque locum: referens huic, ſupra, illi dabis extra.

Differunt Super & Supra. Nam Super habens pro relatiuo Subter, rem contiguam dicit: vt, Sedeo ſuper lapidem. Supra verò, rem quodam interuallo diſtantem innuit: vt, Auis volat ſupra nos. Intra autem, & Infra, pariter diſcrepare videntur. Nam Intra, ad numerum ſpatiúmque refertur, habétque pro relatiuo extra: vt, Intra viginti dies, intra muros. Sed Infra, quod petit pro rela-

tiuo Supra, ad dignitatem & ad locum refertur: vt, infra dignitatem meam, infra tectum.

De Sicut, Ita, & Sic. Cap. 92.

Res ſibi diſſimiles, ſimiles quoque Sicut habebit.
Annectit ſimul Vt, ſi poſt Ita rite ſequatur.

Sicut, ſignificans quomodo, nõ ſolùm ſimiles, ſed & res diſſimiles cõiungit. Quam vim etiam habet particula Vt, ſequente Ita. Quintilianus, Quod vt optimum, ita difficillimum eſt. Differunt tamen Ita & Itaque, Sic & Sícque. Nam Ita & Sic, ſimplicis figuræ, præpoſitiui ſunt ordinis: ſed Itaque & Sícque, compoſitæ figuræ, ſunt communis. Aliquando Ita, pro valde ponitur.

Itaque. Sícq;.

De Nam & Nanque. Cap. 93.

Ordinis eſt primi Nam, communis quoq; Nanque.
Nam quòd, idem ſignat, quòd verò, ſiue quòd autem.

Nam eſt præpoſitiui ordinis, Nanque verò communis. Sed Nam quòd, ponitur pro quòd verò, ſiue pro quòd autem: vt Cicero, Nam quòd in vxorem & filiã meam tam petulanter inuectus es: id eſt, quòd verò.

De Iterum, Antehac, Poſthac, Deinceps, Rurſus. Cap. 94.

Sæpe Iterum repetit, ſed fortè vicem dato primam.
Antehac & Poſthac, hoc illud tempus habebunt.
Rurſus pro contra, Deinceps pro deinde locabis.

Iterum, non tantùm ad poſteriorem vicem, ſed ad primam aliquando refertur: vt Cicero, Quum tantam multitudinem cum tanto ſtudio videremus, quantam non iterum in eodem homine præficiendo vidimus. Antehac autem & Poſthac, ſignificant idem quod ante hoc, poſt hoc, & ante illud, & poſt illud tempus: vt Salluſtius, Sed eam

ſæpe antehac fidem prodiderat. Adhæc, Deinceps, *pro deinde ſumitur:* vt Cicero, Omnes *qui deinceps accubarent, ad lyram canerent. Poſtremùm,* Rurſus, *pro contrà, ceu è contrario, vſurpatur:* vt Cicero, Neque *me doloribus dedi, nec rurſus indignis docto homine voluptatibus.*

De Vltrò, Citrò: Huc, Illuc: Surſum, Deorſum. Cap. 95.

In factis dictiſve, Vltrò Citròque repones.
Dices, Sponte mea feci, vltrò, nònque rogatus.

Vltrò & Citrò, in dictis & in factis, quaſi hinc, inde, ſignificant: vt Quintilianus, *In limine iuuenis ſicut ſolet, vltrò citróque commeare.* Huc *verò &* Illuc, *denotant idem quod, modò in hanc, modò in illam partem.* Cuius *ſignificationis ſunt etiam* Surſum *&* Deorſum: vt Terentius, *Sex ego te totos* Parmeno *hos mẽſes quietum reddam, ne ſurſum, deorſum curſites.* Vltrò *præterea, eſt quaſi non requiſitus:* Sponte *verò, eſt proprio nutu:* vt, Vltrò *ad te veni, id eſt non rogatus:* Sponte *ad te veni, id eſt proprio nutu & conſilio.*

De Et, Ac, Que, cum ſuis cõpoſitis. Cap. 96.

Et, Quéque nanque notãt, crebrò geminata videbis.
Non etiam, nec enim, nec verò, ſæpe notant non.

Et *particula, &* Que, *pro nanque, ſeu quia, eleganter ponuntur:* vt Quintilianus, Et *natura tenaciſsimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percepimus.* Et Plato, Non *ſolùm nobis nati ſumus, ortúſque noſtri partem patria vendicat, partem amici. Hæ inſuper particulæ,* Et, Que, Nec, Neque, Néve, Neu, Ceu, *&* Siue, *ſæpe geminari ſolent:* vt, Te *admirantur & ciues & hoſpites. His adde, quòd.* Et, Ac, Atque, *initiis ſententiarum competunt:* vt Quintilianus, Et *finitæ quidem ſunt partes.* Interdum *affectui*

ſeruiunt,& aliquando non: vt Cicero,*Et ſunt qui de via Appia loquantur, taceant de Curia.* Notandum *eſt præterea,*Quoque *&* Et, *pro* Etiã *poni: &* Que,*pro* Et.*Hoc poſtremum conſiderandum velim:* Nec, Nec *etiam*,Nec *enim*,Nec *verò,pro ſimplici negatione aliquando accipi.*

De Viciſſim,Inuicem,Mutuò. Cap.97.

Mutuò ſignificat,vel contra,ſæpe viciſſim.

Viciſsim,mutuò & inuicem,pro eodem accipi ſolent: Cicero, *Fac me mutuò diligas. vel,* Fac *me viciſsim, vel inuicẽ diligas.Viciſsim tamẽ pro ſecundo loco,ſeu è diuerſo,vel è cõtrario,aliquãdo reperitur: vt* Plinius *poſterior,* Habes *res vrbanas:inuicẽ ruſticas ſcribe.*Id *eſt,è cõtrario.*

De Scilicet, Videlicet. Cap.98.

Scilicet admixtum per riſum,dicito certè.

Scilicet & Videlicet per amaritudinem quãdam,cum deriſu permixtam, idem quod certè ſignificare videntur:vt Terentius,*Id populus curat ſcilicet.*Nec *his dictionibus rectè vtimur in huiuſmodi locutionibus, cuiuſmodi eſt hæc,* Quatuor *ſunt virtutes, ſcilicet* Prudentia,*Iuſtitia,&c.*

LIBER TERTIVS.

De Tanti & Quanti, cum ſuis compoſitis: déque Pluris & Minoris. Cap.99.

IN ſexto pretium eſt, pluris dic, atque minoris.

Et tanti, quanti: cum fixo, iungito ſexto.

Verba pretiũ & æſtimationẽ importãtia, ipſum pretium in ablatiuo caſu regunt: vt, Emi *librum*

*quinque aſſibus,*Conduco domum centum aureis. *Quatuor tamen,nempe* Tanti,*Quanti,*Pluris,*&* Minoris,*in genitiuo caſu ponuntur,quum ſine ſubſtantiuis dicuntur:*vt, Tanti emi,quanti emiſti. *&* pluris. *Si verò ſubſtantiuis iungantur,in ablatiuo caſu efferuntur:* vt, *Quanto pretio emiſti?*Minori pretio,*quàm tu.*

De Mea,Tua,Sua. Cap.100.

Per mea,perque tua,& ſic per ſua,cuiáque,caſu
Reſponde vario,pretii coniungito verba.

*Quanuis interrogatiuum & reſponſiuum,eiuſdē caſus eſſe debent, in diuerſo tamen caſu per mea, tua, ſua, & cuia,nec non per verba pretij, aliquando reſpondendum eſt:*vt,*Cuia eſt hæc domus?*Mea *& tua. Cuia puella?*Petri.*Cuium pecus?Ægonis. Quanti emit?*Viginti *aureis.*

De Tanti,Quanti,Magni,& Parui,cum Intereſt, & Refert. Cap. 101.

Inter & eſt,ſimul atque refert,tanti quoque,quanti,
Et parui,magni,cupiunt.Sed cætera primo
Neutra dabis caſu:vel dic aduerbia poni.

Tanti, Quanti, Parui,*&* Magni, *his verbis imperſonalibus* Intereſt *&* Refert, *& quibuſdam aliis, in genitiuo iunguntur:* vt,Tanti intereſt, *Non magni refert,*Parui *pendo, Magni æſtimo,& ſimilia. Cætera verò nomina vel in nominatiuo caſu neutri generis, vel aduerbialiter ponuntur:* vt,*Multum refert,*Plurimùm *intereſt, Maximè refert.*

De Mille. Cap.102.

Mobile,Mille minus varies, ſed millia dices
Plurali numero:fixum cum mille locatur.

Mille adiectiuum,pluraliter tantum per caſus non variatur. Sed *mille ſubſtantiuum neutri generis, ſingulari-*

ter non variatur: pluraliter verò declinatur, millia, millium, millibus, &c. vnde Mille homines, per ſubſtantiui & adiectiui concordantiam dicimus, & Mille hominū, per regimen ſubſtantiui.

De Numeralibus. Cap. 103.

Diſtribuit numerus, multiplicat, ordinat, aut fit
Præcipuus, proprium nomen de cardine ducens.
In d, g multis: aliis, t vertitur in d.
Congrua poſt centum nonnullis ſyncopa detur.

Numerus cardinalis. *Numeri ſpecies ſunt quatuor, nempe Cardinalis, Diſtributiuus, Ordinalis & Multiplicatiuus. Cardinalis autem numerus, eſt præcipuus numerus, à quo cæteri oriuntur: vt, vnus, duo, tres, quatuor, quinque, &c. Ordinalis eſt, quo ordinem ſeriémque rerum notificamus: vt, primus, ſecundus, tertius, quartus, &c. qui ſignificat vltimum ex numero, vt centeſimus: id eſt, vltimus ex centum. Quadrageſima tamen, quadraginta dies importat, & non vltimum diem. Notandum eſt etiam, hunc numerum aliquando ſyncopam pati, vt Duceſimus, pro ducenteſimus.*

Diſtributiuus. *Diſtributiuus numerus eſt, qui pluribus aliquid diuidit: vt, ſinguli, bini, terni, quaterni, viceni, & duceni, à viginti & triginta. Nam in his, g in c mutatur. Nomina verò diſtributiua, ſupra centum ſyncopantur: vt duceni, pro ducenteni: treceni, pro trecenteni. Sed infra centum non patiuntur ſyncopam. Conſiderandum eſt præterea, hæc nomina rarò ſingulariter, niſi pro primitiuis, & apud poetas, reperiri: vt Virgilius, Septeno gurgite, pro ſeptem gurgitibus: ſed pluraliter nominibus quibuſdam heteroclitis pro cardinali numero ſæpiſſimè iungi, vt binas literas dicimus, & non duas literas.*

Multiplicatiuus. *Multiplicatiuus numerus eſt, qui multiplicationem rerum denotat: vt, ſim-*

plex,duplex : vel ſimplus , duplus : vel vnarius , binarius . Nam Multiplicatiuus tres habet terminationes, nempe plex,vt ſimplex:plus,vt ſimplus:& arius,vt vnarius,&c.

De Litera. Cap.104.

Litera,b,c,d eſt:pluralis epiſtola fiet:
Diſtribuens numerus pluralem ſemper habebit.

Litera in ſingulari numero, eſt elementum: vt a,b, c,d,&c. In *plurali verò epiſtolam ſignificat: niſi apud poetas,apud quos ſingulariter pro epiſtola aliquando ponitur: vt* Ouidius*,* Quam *legis , à rapta* Briſeide *littera venit .* Notandum *eſt inſuper, literas in plurali diſtributiuis nominibus iungi : vt,*Dedi *binas literas,& nõ duas, dicimus.*

De AEdes. Cap. 105.

Eſt ædes templum primo numeróque ſecundo:
Sed ſignare domum tantùm pluraliter inquam.

Ædes in ſingulari numero,atque adeò in plurali templum ſignificat: pluraliter verò tantùm domus eſt priuata: vnde duas, tres ædes dicimus, pro templo : ſed binas, ternas ædes, pro priuatis domibus : vnde Ædilis : id eſt, Ædilis. *templi cuſtos: & Ædifico,quod eſt propriè,domum con-* Ædifico. *ſtruo: ſed ad alia tranſferri poteſt.*

De Liberi. Cap. 106.

Non dicas primum pro natis liberi habere.

Liberi,liberorum,pro filiis,etiam ſi vnicus fuerit, tantùm pluraliter declinamus . Neque diſtributiua huic nomini iungimus : vt,duos,tres liberos, Latinè *dicimus,& non binos,ternos liberos. Aliquãdo tamen* Liberum *apud* Quintilianum *pro filio ſingulariter reperimus.*

De Hortus. Cap. 107.

Hortus,holus defert:horti ſunt arbore pleni.

Hortus non heteroclitum, in ſingulari, atque adeò in plurali pro hortus holitoriis, id eſt holera producentibus, ponitur : Horti *verò pluraliter tantùm, locus eſt arboribus conſitus,voluptatis gratia: & tunc diſtributiuis iungemus: vt,binos hortos dicemus,pro locis arbòribus conſitis:duos verò hortos,pro hortis holitoriis.*

Odor. Cap. 108.

Res ſed odoriferas pluraliter effer Odores.

Odor in ſingulari & in plurali numero quid ſignificet,notum eſt:in plurali verò,tantùm odoramenta,ſeu res odoriferas ſignificare dices : ſed rarò diſtributiuis iungitur:vt,binos,ternos odores,rarò dicimus,

De Commeatu. Cap. 109.

Eſt primo numero diſceſſus quod dat in atus

Commeo: ſed publicam annonam deſignat vtroque.

Commeatus *ſingulariter tantùm facultatem recedendi ſignificat:vt,Petij commeatum,id eſt facultatem .* In *ſingulari verò & in plurali,annonã publicam,& aliquando priuatam ſignificat:vt* Cicero,*Iam commeatu & priuato & publico prohibeamur.*

De abuſu pluralis,pro ſingulari. Cap.110.

Ad te,tu,non vos:de me,nos, aut ego,dicam.

Quoties de nobis ipſis loquendum fuerit, ſingulari aut plurali numero vti poterimus : vt Virgilius , O Melibœe, deus nobis hæc otia fecit : Nanque *erit ille mihi ſemper deus. Vbi verò ad vnum tantùm ſermo noſter dirigitur, ſingulari tantùm vtendum eſt : vt, Pater noſter,qui es in cœlis,*

De Quæſtu. Cap. 111.

Queſtus pluralis tantùm,ſignato querelas:

Sed lucrum numero Quæſtus deſignat vtroque.

Queſtus ſine diphthongo, à verbo deponenti queror, eſt querimonia: carétque ſingulari numero. Sed *quæſtus cum diphthongo, à quæro, eſt quoduis lucrum: & tunc vtrunque numerum obtinet.*

De Scala & Pondo. Cap. 112.

Vix retinent numerum Scalæ Pondóque priorem.

Scalæ & Pondo, ſingulari numero carent. Quid autem ſignificent, ſatis notum eſt.

De numeris. Cap. 113.

Eſt præponendus numerus minor, vltra viginti:
Et citra centum, medians ſi copula detur.

Quando duo nomina numeralia, mediante coniunctione Et, *vel ſimili, cohærent, vltra viginti, & citra centum, minor numerus præponitur: vt,* Plato *vno & octogeſimo anno ſcribens, mortuus eſt.* Sed *citra viginti, & vltra centum, maior numerus præfertur: vt,* Leontinus *Gorgias centum & ſeptem compleuit annos.* Si *verò ſine cõiunctione conueniunt, maximus ſemper numerus præponitur: vti,* Anno Domini *milleſimo quingenteſimo quadrageſimo. Quam naturã numerus ante viginti, & poſt mille etiam retinere videtur: vt,* Decimotertio, *decimoquarto anno.* Et *mille quadringenti anni.* Adhoc *ſubiiciendum eſt, particulas* Vnde & Duode, *ante decimum quenque numerum, auferre vnum, & duos numeros: vt,* Vndeuiginti, *id eſt nouemdecim:* Duodeuiginti, *id eſt octodecim.*

De Domus. Cap. 114.

Eſt locus ille Domi patrius, tectúmque Domus eſt.

Domus ſecundæ & quartæ declinationis, domi & domus in genitiuo ſingulari facit. Sed *domi locum ſignifi-*

cans, ſex tantum adiectiuis, nempe Meæ, Tuæ, Suæ, No-
ſtræ, Veſtræ, *&* Alienæ, *iungitur: vt*, Sum domi meæ *: id
eſt, in loco vbi domus conſtructa eſt*. Domus *verò geni-
tiuus quartæ declinationis, ædificium ipſum denotat: vt,
Aſcendo ſuperiora domus.*

De compoſitis à Quis & à Qui. Cap. 115.

Quærens & referens, infinitum, geminata,
Poſtremas partes perſæpe in cunque reſoluunt:
Mobile quod dicas, quid fixum, & ſoluitur in quo.
Incertum quiſquam, ſed certum dicito quidam.

Quando Relatiua, Interrogatiua *&* Infinita *gemi-
nantur, poſteriorem partem in cunque reſoluere poſſunt:
vt*, Qualiſqualis*: id eſt*, qualiſcunque. Vbi vbi, vbicũque.
Quicquid, quodcunque. *Differunt tamen* Quicquid *&*
Quodcunque *: nam* Quicquid, *ſubſtantiuum eſt*, Quod-
cunque, *adiectiuum: vt*, Quicquid boni, *&* quodcunque
Quid. bonum, *dicimus*. Quid *verò, aliquando reſoluitur in*
quo: *vt Cicero*, Quid enim erat Scipio egens mei? *id eſt*,
in quo. *Notandum eſt præterea*, Quidam, *certam ſigni-
ficare perſonam:* Aliquis *verò*, Quiſquam *&* Quiſpiam,
incertam.

De affinitate Genitiui & Ablatiui. Cap. 116.

Ponitur in caſu pars proprietáſque ſecundo
Et ſexto: vitii aut laudis ſi mobile detur:
Hoc tamen in quarto quãdoque Synecdoche habebit.

*Pars & proprietas, in genitiuo vel in ablatiuo ca-
ſu, cum adiectiuo laudis vel vituperij, eleganter ponun-
tur: vt*, Vir magnæ authoritatis: *vel*, magna authorita-
te. *Aliquando tamen in accuſatiuo caſu per Synecdochen
apud poetas leguntur: vt*, Mulier alba dentes, ſpoliata
lacertos.

De In auro,in æs incîdo. Cap. 117.

Incîdo fer in æs:ſed ponis cætera ſexto.

Incido,incidis,omnium dictionum ablatiuos,mediante præpoſitione in,ſecum admittit:vt,Literæ inciſæ ſunt in auro,in marmore, in gemma,in lapide. Excipitur tamen Æs,quod in accuſatiuo caſu ponitur:vt,Literæ inciſæ ſunt in æs,& non in ære.

De venuſtate diſcordiæ Relatiui cum Antecedente. Cap. 118.

Vult Referens proprio bene concordare ſequenti:
Sed ſi non proprium fuerit,concordat vtriuis.

Quãdo Relatiuũ Qui,Quæ,Quod,ponitur inter duo ſubſtãtiua diuerſorũ generũ,ſi ſequẽs fuerit propriũ,concordabit illi ſequẽti:vt,Eſt locus in carcere,quod Tullianũ appellatur.Si verò propriũ nõ fuerit,cõcordabit vtrilibet: vt,Video animal,qui aſinus,vel quod aſinus dicitur.

De dictione reſpondente ſubſtantiuo ſequenti & antecedenti. Cap. 119.

Eſt mihi nomen(ais)Petro,vel Petrus,vtrunque.

Quando verbum Eſt, ponitur inter duo ſubſtantiua ad appellationem pertinẽtia,quorum antecedens eſt nominatiui caſus,ſequens in nominatiuo, & elegantius in datiuo caſu ponitur: vt, Eſt mihi nomen Petrus, dicimus: & elegantius,Eſt mihi nomen Petro.

De Datiuo & Accuſatiuo,ſequentibus caſum Relatiui. Cap. 120.

In terno & quarto,ſequitur caſum referentis
Præcedens:verùm referens præponitur apté.

Quando relatiuum & antecedens in oratione ita ponuntur, vt ab eodem verbo regi poſſint, eleganter in eodem caſu efferuntur: ſed elegantius, ſi relatiuum præpo-

natur: Quam vrbem ſtatuo, veſtra eſt: elegantius dicimus quàm, Vrbem, quam ſtatuo, veſtra eſt.

De interiectu huius dictionis Ne dicam. Cap. 121.

Si fixum primi caſus præponitur illi
Ne dicam, quarto tunc pones mobile caſu:
Si poſtponatur, tunc primi fiet vtrunque.

Quando ſubſtantiuum nominatiui caſus præponitur huic complexo Ne *dicam, adiectiuum quod ſequitur, in accuſatiuo caſu dicetur: vt,* Homo *prudēs, ne dicam ſapiētem. Si verò poſtponatur, vtrūque in nominatiuo caſu ponitur: vt,* Do*ctus, ne dicam prudens & ſapiens homo.*

De Infinitiuo vel interiecto, vel poſtpoſito. Cap. 122.

Præpoſitos caſus infinitiuus habebit:
Vidi te, vt multos luſiſſe fateberis aptè.

Infinitiuus præpoſitos ante ſe caſus retrahit, ideóque dicimus, Audiui *te, vt cæteros, luſiſſe: non autem,* Audiui *te, vt cæteri, luſiſſe: ſed,* Audiui *te luſiſſe, vt cæteri. Nam tunc facilè intelligitur verbum: vt,* Audiui *te luſiſſe, vt cæteri luſerunt, ſubaudi.*

De infinitiuo Eſſe. Cap. 123.

Eſſe petit caſus ſimiles: quandoque tamen vult
Diſſimiles, veluti, Petro licet eſſe magiſtrum.

Infinitiuus E*ſſe, caſus habet copulare ſimiles: vt, Spero eſſe bonus amicus: vel, Spero me eſſe bonum amicum: aliquando tamen diuerſos caſus ſuſtinet: vt, Huic licet eſſe probum magiſtrum.*

De vbi vtimur nominatiuo pro vocatiuo, vel econtra. Cap. 124.

Salue candide vir, vel tu vir candidus, inquis.

Quando verbo ſubſtantiuo Sum, es, eſt, aut eius parti-

cipio poſito, vel ſubintellecto, vocatiuus præponitur, tunc ſequi debet nominatiuus: vt, Salue tu vir candidus. hic enim facilè intelligitur ens: ac ſi diceres, Salue tu vir ens candidus. Aliter autem plures vocatiui cohærent: vt, Salue candide & optime vir.

Quod verbum debet ſequi vltimum ſuppoſitum. Cap. 125.

Verbum ſuppoſito concordat proximiori:
Hoc tamen in multis nonnulla aduerbia tollunt.

Verbum vel adiectiuum debet ſequi vltimum ſuppoſitum, vel ſubſtantiuum, in perſona, genere, & numero: vt, Ego illum de ſuo regno, ille de noſtra Republica percunctatus eſt: & id, per hypozeugma. Aduerbia tamen ſimilitudinis & comparandi, hanc regulã impediunt. Siquidẽ longiori cõcordat verbum: vt, Ego ſicut fœnũ arui.

Vbi collocandum ſit adiectiuum. Cap. 126.

Mobile præcedens, variantia fixa ſequuntur:
Si non præcedat, concordat proximiori.

Adiectiuum quum præcedit, debent ſequi ſubſtantiua: vt, Virgo corrupto vel animo, vel corpore. Quando verò poſtponitur, proximiori tantũ ſubſtantiuo concordat: vt, Virgo corpore, vel mente corrupta. Hoc ipſum etiam efficere compellunt hæ dictiones, Nec, Neque, Tum, Partim, Vel, & ſimiles, dum præponuntur: vt, Virgo vel corrupto corpore, vel mente: aut, Virgo nec mẽte corrupta, nec corpore. Quod idem ſequendum eſt in proprietate verbi: vt, Tibi neq; nocui, nec obſui. vel, Neq; tibi nocui, neq; iuui.

Tres negationes aliquando non plus efficere, quàm duæ. Cap. 127.

Non pluſquam duplex tunc trina negatio ſignat,
Principium ſenſus ſiquando negatio præbet.

Tres negationes non plus efficiunt, quàm duæ, quum à negatione incipitur: vt, Nunquam *mihi nec profuiſti, nec obfuiſti: id eſt,* Mihi *nec profuiſti, nec obfuiſti vnquam.*

Neutiquam. Nequaquã. Nec etiam. Necubi.

Ad hæc notandum eſt, Neutiquam, Nequaquam, Nec etiam, *&* Nunquam, *ſimplicem negationem importare, ideóque vno verbo contenta ſunt: vt,* Nequaquã *veniam.* Necubi *verò, duplicẽ videtur habere negationẽ, ideóque duplex verbũ poſtulat: vt,* Nolo *necubi mihi obuius fias.*

Quot modis iubemus. Cap. 128.

Canta, cantato, cantes, cantabis, & ipſe
Ne cantaueris, & ne cantes, dicito tantùm:
Non vult perſonam primam, ſed vult alias ne.

Præcipiendo vel loquendo, quatuor modis vti poſſumus: vt, Veni *ad me, venito ad me, venias ad me: prohibendo autem, modis tantùm duobus: vt,* Ne *venias, & ne veneris, futuri temporis ſubiunctiui modi.* Notandum *eſt inſuper,* Ne *particulam ſecundis & tertiis perſonis ſæpe iungi: vt,* Ne *audeas ſic loqui.* Non *verò primis: vt,* Non *audeam ſic loqui.*

De negatione adhuc, quod ad elegantiam pertinet. Cap. 129.

Si non, atque niſi, ſubiuncta negatio quondam eſt.

Poſt negationem aliquando ſequitur alia negatio, per Si *non, atque* Niſi: *vt* Quintilianus, Non *eſt difficile vt maritum vxor occidat, ſi non eſt difficilius vt filius patrem.* Et, Mentior *niſi factum eſt.*

De Vter vtri, Quis cui. Cap. 130.

Vtrum damnat vter, ſic quis quem, dicito: verùm
Neuter, vterque, modo ſimili coniungere neſcis.

Vter vtrum accuſat? Latinè dicimus. Et, Quis *quem accuſat?* Vterque *verò vtrunque damnat, raro, aut nun-*

quam dicimus. Et, *Neuter neutrum accuſat, omnino non dicemus.*

De Prior & Prius. Cap.131.

Perſonam dicit prior, ac tempus prius infert.

Prior & Prius differunt. Nam Prior, reſpicit perſonam: vt, Vocaui te prior, hoc de duobus tantùm dicitur. Prius verò, tempus innuit: vt, Vocaui te prius: id eſt, priuſquam nunc. Idem *de Superlatiuo dicẽdum eſt, vbi multa neutra ſunt: vt, Primi nos venimus, nos poſteriores.*

De regimine nominum criminalium & pœnalium. Cap.132.

Aut patrium, aut ſextum, damnandi verba requirũt:
Neuter, & ambo tamen ſexto dabis, alter, vterque.

Verba damnãdi & accuſandi regũt crimẽ in genitiuo, vel in ablatiuo: vt, Accuſo *te furti, vel furto. hinc tamen tollũtur* Ambo, Alter, Vter, Neuter *&* Vterq; *, quæ in ablatiuo tantùm cõſtruuntur: vt,* Accuſandus *eſt furti, an ſacrilegij, an vtroq; ? nõ, an vtriuſque. ſic de ſimilibus dicimus.* Ambo. Alter Neuter. Vterque.

De Impleo & Refercio. Cap.133.

Dant ſextum & patrium, verbũ, noménque replẽdi:
Sed ſextus cùm de poſt hæc aliquando locatur.

Verba Replẽdi *&* Referciendi, *genitiuũ poſt ſe habẽt, ſed ſæpius ablatiuum ſine præpoſitione* De: *vt,* Impleui *nauem frumẽto, vel, de omni genere frumẽti. quod ita dicendũ eſt de eorũ nominibus: vt,* Nauis *referta vini, vel vino, vel de omni genere vini.* Plenũ *gratiæ, & plenum gratia.* Refertus. Plenus.

De Potior, Potitus. Cap.134.

Vult ſextum potior, tolerãs quandoque ſecundum.

Potior, potiris, ablatiuum caſum poſt ſe poſtulat: vt, Victoria potitus ſum. aliquando tamen habet genitiuum, ſed tantùm huius nominis, rei: vt, Rerum *potitus.*

De Traiicio. Cap.135.

Traiicio,quartum,& binos plerunque requirit.

Traiicio,traiicis, compoſitum ex trans & iacio,accuſatiuum poſt ſe efflagitat,& aliquando duos,alterum vi præpoſitionis,alterũ vi verbi: vt,Traiicit copias Iberum.

Do tibi,& ad te literas. Cap.136.

Ad te,quod capias chartas,tibi ſed do ferendas.

Do tibi literas,tanquam tabellario, vt deferas ad aliquem.Sed do ad te literas,vt capias,& legas,dicimus.

Confero,cum in,& cum ad. Cap.137.

Pro do,perſonæ cum quarto,Confero vult in:

In vel ad,in reliquis:& tunc eſt Confero,vado.

Cõfero me ad agros,vel in agros,dicimus,pro eo quod eſt,vado ad agros:confero me autem in ſocium,non dicimus:ſed ad ſocium,pro,eo ad ſocium.Nam Confero,duos perſonales caſus reſpuit,cum præpoſitione in:ideóque rectè dicimus,Confero munus in ſocium: id eſt, do munus. Multa contulit in Catonem:id eſt,multa donauit Catoni.

De Interdico. Cap.138.

Ternum cum ſexto dabis interdicere tantùm,

Ex actiuo fit paſſiuum,triplice forma.

Interdico, cis, datiuum & ablatiuum caſum poſt ſe efflagitat: vt, Interdico tibi aqua & igni. Quod tribus modis reſolui poterit,mutãdo actiuum,in paſſiuum. Nam tribus modis actiuum mutatur in paſſiuum. Primò ſic: Dedi tibi equum,equus datus eſt à me tibi. Secundò ſic: Docui te muſicam,tu à me doctus es muſicam. Tertiò ſic: Rogaui te veniam,rogatus es à me veniam,vel venia rogata eſt à me tibi.

Pluit & Ningit. Cap.139.

Nullum Ningit habet caſum:Pluit at dato ſextum.

Pluit, nullum ante ſe habens caſum, niſi Deus, aut natura ſubintelligatur, poſt ſe ablatiuum exigit: vt, Pluit lapidibus. Ningit verò nullum caſum habet.

Decet, Iuuat & Conducit, Explicit. Cap. 141.

Conducit, Iuuat, atque Decet, pro eſt vtile, quærunt
Perſonas, vel reiiciunt. rarò Explicit inquam.

Conducit, iuuat, atque Decet, pro vtile eſt, perſonalia, quum ante ſe nominatiuum habent, & imperſonalia abſente nominatiuo dici poſſunt: vt, Hæ veſtes me decent. Te decet cantare. Explicit præterea, & Expliciunt, rarò reperiuntur in vſu.

De Audio & Auſculto. Cap. 142.

Audio & Auſculto, ternum pro obtempero poſcunt.

Audio & Auſculto, quum accuſatiuum habent, quid ſignificent, notum eſt: vt, Audiui vocem tuam: id eſt, auribus percepi. Si verò datiuo iungantur, pro obtempero ponuntur: vt, Audiui præceptis tuis: id eſt obtemperaui.

De Dono tibi, Dono te. Cap. 143.

Dono tibi munus, notum eſt: Te munere dono
Quum dicis, ſignat te pro mercede referre.

Dono tibi munus: id eſt, do munus: Sed Dono te munere, eſt præmij gratia vel beneuolentiæ, munus refero: vt, Donaui ſeruum libertate.

De Incumbo. Cap. 144.

Incumbo remis tantùm tu dicito: verùm
Incumbo ad chartas, in chartas, dic quoque chartis.

Incumbo, omnes dictiones in datiuo caſu poſt ſe requirit. Sed quæ ad animum & ſtudium referuntur, in datiuo vel in accuſatiuo caſu, cum præpoſitione in, vel ad, conſtruuntur. Vnde fit vt tãtùm dicamus, Incumbo remis:

D.i.

ſed incumbo chartis,in chartas, & ad chartas,dicemus.

De diuerſo varióque regimine verborũ, cum diuerſa ſimilíve ſignificatione. Cap.145.

Ternum vel quartum quædam ſub duplice ſenſu
Verba volunt,ſimili quædam iunguntur vtrique.

*Quædam verba diuerſam ſignificationem ſub diuerſo regimine habent:vt,*Timeo te,*tanquã inimicum:&*,Tibi *timeo,tanquam amico. Quædam verò ſub diuerſo caſu idem ſignificant:vt,* Reſpondeo tibi,*&* Ad te reſpondeo.

De noua ratione regendi quorundam imperſonalium. Cap.146.

Pœnitet & Miſeret,Pudet & Tædet,Piget,antè
Optant verbum,quod non perſonale vocatur.

Verba imperſonalia, Pœnitet, Miſeret, Pudet, Tædet, Piget,*eleganter ante ſe aliud imperſonale requirunt: vt,* Cœpit eum pœnitere.

Quòd in oratione verba nonnunquam venuſtè atque ornatè vel deſunt,vel redundant. Cap.147.

Deſunt ſermoni quondam vel verba redundant.

Verba in orationibus nonnunquam non ſine gratia deſunt,potiſſimùm quando per Vnde,*&* Quò,*incipitur:vt* Horatius, *Quò mihi fortunam, ſi non conceditur vti? id eſt,quò vultis mihi eſſe bona fortunæ?* Et idem,*Vnde mihi lapidem, vnde ſagittas? interdum verbum generale intelligitur: vt* Virgilius, *Talia per* Latium, *ſupple gerebantur.* E *diuerſo tamen aliquando verba redundant:vt* Cicero, *Quòd eum brachium fregiſſe diceret.* Satis erat *dicere,Quòd brachium fregiſſet.*

Cur de futuro,non per verbum futuri tẽporis authores interdum loquantur. Cap.148.

Præteritum ponas pro certo, ſede futuri.
Pro pluſperfecto, imperfectum ſæpe videbis.

Præteritum perfectum indicatiui modi, ad aſſeuerandam rem certã, pro futuro ſæpe ornatè ponitur: vt, Si tales animos habetis, vicimus: pro, Vincemus. Plerunque autem Præteritũ imperfectum, pro Pluſquamperfecto, & indicatiui tempora, pro alterius modi temporibus, & è conuerſo vſurpant authores: vt Quintilianus, Si perſeueraſſem, duos excæcaueram: id eſt, duos excæcaſſem. Poetæ præterea in optatiui tẽporibus, particulã Si aliquoties ſubaudiunt: vt Virgilius, -tu quoque magnã Partem opere in tãto, (ſineret dolor) Icare haberes. id eſt, ſi ſineret dolor.

Vbi nitidius vtimur Actiuo, vbi Paſſiuo. Cap 149.

Voluere, vel volui libros, lectos vel oportet,
Aut opus eſt lectis libris, ſine crimine dices.

Quatuor modis in eodem ſenſu efferre poſſumus huiuſmodi orationes, Oportet voluere libros. Primo, per infinitiuum actiuum, cum verbo imperſonali Oportet, Decet, Conducit, Vtile eſt, & ſimili: vt, Oportet voluere libros. Secundo, per infinitiuum paſsiuum, & id quidem per artem grãmaticam: vt, Oportet volui libros. Tertio, per participium præteriti temporis accuſatiui caſus: vt, Oportet lectos libros. Quarto, per Opus eſt, cum participio præteriti temporis ablatiui caſus: vt, Opus eſt lectis libris.

Præpoſitiones rationeſque interdum miſceri. Cap. 150.

A doctis ratio quondam confunditur aptè.

Oratores præpoſitiones & rationes aliquãdo confundunt: vt Cic. in Antoniũ, O te miſerũ, ſiue illa tibi nota nõ ſunt (nihil enim boni noſti) ſiue ſunt, qui apud tales viros tam impudenter loquaris. Dixiſſet enim apertius, Siue illa

nõ ſunt nota, ſiue nota ſunt. Si nõ ſunt nota, adhuc tamen miſer es, qui nihil boni noſti. Si verò nota ſunt, adhuc miſerior es, qui apud tales viros tam imprudenter loqueris.

De Videor. Cap. 151.

Tu mihi perlepidè (dicas) cantare videris:
Nam Videor verbũ eſt, quod perſonale vocatur.

Non videor mihi malè facere, tu mihi videris gloriari, ille videtur ambulare, eleganter dicimus. Nam Videor, *verbum eſt perſonale, ideóque cum nominatiuo concordabit: nec per imperſonale dicetur ſic,* Non videtur mihi *quòd male faciam.*

De vulgari quodã vſu Mihi & Tibi. Cap. 152.

Et Mihi ſiue Tibi, quæuis oratio ſumit.

Mihi & Tibi datiui caſus, ita in oratione aliquando ponuntur, vt non ad certam perſonam referri videantur, ſed ad vniuerſa: & id quidem ex conſuetudine loquendi: vt, Hic *mihi ſemper gloriatur. Horatius, Quid mihi Celſus agit?*

Tempus in accuſatiuo vel in ablatiuo ponitur. Cap. 153.

Temporis in quarto, vel ſexto, dictio detur:
In ſexto, non per, ſed rectius explicat intra.

Dictio temporis, in accuſatiuo vel in ablatino caſu indifferenter ponitur: vt, Studui viginti annis, vel viginti annos. Sed in ablatiuo caſu, tempus per intra, & non cum per, explicari debet: vt, Superioribus diebus veni: id eſt, Intra *ſuperiores dies.*

Vbi deceãt Niſi, Quàm, & Præter quàm. Cap. 154.

Cũ Niſi, iũge Quid eſt, ſi quid quod comparat, abſit,
Aut Aliud. Nam tunc Quàm vel Niſi, poſtea iunges.

Poſt interrogatiuum Quid eſt, nos Niſi, ſæpius quàm

Quàm ponere ſolemus: vt, Quid eſt animal, niſi corpus cum anima concretum? Si verò nomen comparatiui gradus, & hæ dictiones Alius, Aliter intercedant, tunc Quàm, vel Niſi, ponere poſſumus: vt, Quid melius eſt, quàm gaudere? vel, niſi gaudere? Quid aliud eſt animal, quàm corpus? aut, niſi corpus? Addendum eſt tamen has particulas, Præter & Præterquam, eandem habere naturam, quàm Niſi. Sed Præter, poſt ſe accuſatiuum ſemper habet: vt, Nullius ſum rei auarus, præter quàm laudis: vel, præter laudem.

De Tranſfero. Cap. 155.

Sæpius à doctis imitari Tranſfero ſignat.

Tranſfero vltra propriam ſignificationem, quæ eſt tranſporto, aliquando ad imitationem ponitur: vt Cicero, Quem morem Spartiatæ tranſtulerunt in fœminas: id eſt, ad imitationem fecerunt.

De Committo vt. Cap. 156.

Non committas vt, malè ſumi dicito ſemper.

Committo, ſequente particula Vt, vel Quamobrem, aut ſimili, ſemper in malam partem ſumitur, ideóque negatiua dictio ſæpius præcedit: vt, Non committas vt aliquando dicendum ſit, Non putabam.

De Ortus & Oriundus. Cap. 157.

Vnde parens, Oriundus ero: propria Ortus in vrbe.

Ortus & Oriundus differunt: nam Ortus, locum deſignat in quo quis natus eſt: Oriundus verò, de loco ex quo parentes orti ſunt: vt, Laurentius Valla Ortus Romæ, oriundus à Placentia fuit.

De Memini. Cap. 158.

Quartum vel patriũ, Memini vult, éſtque recordor.
Sed patrium ſextúmque petit, ſi mentio fiat.

Memini pro recordor, genitiuum vel accuſatiuum caſum poſt ſe poſtulat: vt, Huius loci memineris: vel, Hūc locum memineris: id eſt recordare. Si verò mentionem facere ſignificet, genitiuum vel ablatiuum cum præpoſitione De *requirit: vt, Lectionis prateritæ, vel* De *lectione prateri-*
Mēs. Mentū. *ta non memini: id eſt, non mentionem feci: vnde Mens,*
Mentior. *Mentum, & Mentior deriuantur.*

De Vter & Alius, Quartùm & Quartò conſul. Cap. 159.

Alter de binis, Alius de pluribus effer:
Alter ſed dicas quondam ſignare ſecundum:
Quartò conſul erit, qui ter fuit antea factus:
Sed Quartùm conſul, ſignat tres antea factos.

Alter de duobus tantùm: Alius verò de pluribus dicitur. Alter *tamen aliquādò pro ſecūdo accipitur, vt Vnus, item alter.* Notandum *eſt inſuper, Quartùm conſul, aliud eſſe à Quartò conſul. nam Quartùm conſul, locum deſignat, & tres antea factos: Quartò verò conſul, is eſt qui ter antea factus eſt conſul: & tempus importat.*

De Quiſque, Vterque, cum verbo aut participio. Cap. 160.

Quiſque & Vterque, ſeri medio fixíque, ſuúmque,
Póſtque ſuū cupiūt: quibus Vnuſquiſque dari vult.

Vnuſquiſque, Vterque & Quiſque, inter ſubſtātiuum & adiectiuum ſuum, & ſemper ante ſubſtantiuum immediatè poni volunt: ſecus enim oratio eſſet inepta: vt, Hirundines *redeunt, in ſuum priſtinū vnaquæque nidum immigrātes,* Latinè *dicemus: & non,* Hirūdines *redeunt, vnaquæque in ſuū nidū immigrātes.* Nā *inepta eſt oratio*

De Tamen & Sed cum relatiuo. Cap. 161.

Doctus homo, poſt ſe, Sed Cui, vel Cui tamen optat.

Doctus homo, vel illiteratus homo, & eiuſmodi locutiones, poſt ſe, Sed cui, vel Cui tamen, eleganter poſtulant, ſubintelligendo is vel talis: vt, Homo illiteratus, cui tamen, vel, ſed cui multos poſtponas.

De Id & Quod, cum alio antecedente. Cap. 162.

Te video, quæ res, id quod, quod me iuuat, inquam.

Poſt Video, vides, indifferenter Quod, vel id quod, vel Quæ res, ponimus: vt, Video te literarum amatorem: id quod me: vel, quod me: vel, quæ res me maximè iuuat.

De Aliquis, Quiſquam, Quiſpiam, Vllus. Cap. 163.

Quidam deſignat certum: ſed Quiſpiam & Vllus,
Quiſquam, ſic Aliquis, non certum: quærit at Vllus.

Quiſquam, Quiſpiam, Aliquis & Vllus, de re incerta loquuntur: vt, Aliquis pulſat fores noſtras. Quidam verò rem certam ſignificat: vt, Quidam hodie me conuenit de hac re. Vllus tamen ſine negatione orationem ingredi non poteſt, niſi interrogatiuè ſumatur: vt, Vocat me vllus? aut ſubiunctiuè: vt, Si vllus vocauerit me.

De eadem perſona, tanquam de alia. Cap. 164.

Detentus ſtudiis, libros tibi ferre nequiui,
Dic melius: quàm Me detento, ferre nequiui.

Quando verbum ad vtranque orationem referri poteſt, elegantius per nominatiuum participialem, quàm per ablatiuum abſolutè poſitum loquimur: vt, Detentus ſtudiis, te viſere nequiui, elegantius dicimus: quàm Me detento ſtudiis, te viſere nequiui.

Do, feróque auxilium, & non Opem do, dicimus. Cap. 165.

Auxilium fero, vel do dic: ſed Opem fero tantùm.

Do vel Fero auxilium, vtrunque dicimus: & Opẽ fero

pro eodem ſignificato: ſed Opem *do, omnino non dicimus.*

De A, Ex, De, cum verbis. Cap. 166.

Ex, à, vel de te, ſenſu tu dicis eodem:
Sed de quaque via, ſignabit iterque, locúmque.

A, Ex *&* De, *ablatiui caſus præpoſitiones, idem in orationibus ſignificant: vt,* Audiui *de patre, vel à patre, vel ex patre.* De *via tamen, iter, locúmque ambulandi ſignificat: vt,* Clamaui *de via. Quúmque de via languerẽ: id eſt, de labore itineris.*

Solus & Vnus. Cap. 167.

Solus & Vnus, habẽt ſextum, quartum, patriúmque,

Solus *&* Vnus, *more ſuperlatiuorum, genitiuum habent: mediante verò præpoſitione* Inter *vel* Ex, *accuſatiuum vel ablatiuum: vt,* Vnus *omnium, vel vnus inter omnes, vel* Solus *ex omnibus.*

De Animaduerto. Cap. 168.

In te animaduerto, te corrigo: aſt in fine, cerno eſt.

Animaduertere cum accuſatiuo caſu, ſine præpoſitione In, *ſignificat conſiderare, ſeu cernere: vt,* Animaduerto *te: id eſt conſidero. Sed cum accuſatiuo, mediante præpoſitione* In, *eſt punire, ſeu corrigere: vt,* Animaduertendum *eſt in latrones.*

Filius, Natus: Pater, Genitor. Cap. 169.

Cuique ſuus modus eſt, ſua verbáque cuique dabuntur.

Eſt ſuus vnicuique dicẽdi modus. Nã Oratores *quædã peculiaria verba habẽt, vt* Filius, *ſæpius quàm* Natus: Pater, *ſæpius quàm genitor dicunt.* Comici *verò,* Natus *ſæpius quàm filius: &* Genitor, *ſæpius quàm* Pater. Hiſtorici *autem mediam inter vtranque viam ſequuntur.*

De Imprimis. Cap. 170.

Imprimis neutrum eſt,ſi non ſit mobile: verùm
Si fuerit,tacitum ad fixum tunc rite refertur.

Imprimis cum adiectiuo,ſi de maſculino loquatur,per maſculinum reſoluitur: ſi de fœminino,per fœmininum:ſi de neutro,per neutrum: vt,Imprimis facundus homo : id eſt, inter primos . Imprimis facunda mulier: id eſt,inter primas. Si verò adiectiuum non fuerit,ad neutrum refertur:vt,Imprimis venerare deos:id eſt primùm.

Hic non eſt illi comparandus. Cap.171.

Virgilius(dicas)non eſt referendus Homero.

De minore ad maiorem elegans ſit talis comparatio: vt,Virgilius non eſt cum Homero comparandus . quanquam aliquando è diuerſo reperiatur.

Intercedo. Cap.172.

Conciliat,ſignat mecum Intercedit honeſtum;
Intercedit homo prudens,interuenit hoc eſt.

Intercedo,duo ſignificat:Primò,concilio: vt,Intercedit amicitia:id eſt,conciliat.Secundò,idem eſt quod interuenio:vt,Intercedit Petrus:id eſt,interuenit.

Amare inter ſe,mutuò,& inuicem. Cap.173.

Mutuò,& inter ſe,pariter quoque, dic redamant ſe.
Et bene habet,caſu ſine primo dicitur aptè.

Dicere poſſumus,Pueri amant ſe mutuò, amant ſe pariter,& amant inter ſe:non autem,amant ſe inter ſe. Præterea Bene habeo,bene habes, idem pollet quod Bene valeo,bene vales.Sed in tertia perſona ſingularis numeri Bene habet ſine recto ſæpe ponitur:vt,Bene habet:id eſt,res bene ſe habet. Bene habet.

De Facio te certiorem. Cap.174.

Prima ſibi facio nonnulla vocabula quærit.

Facio,quædā nomina ſibi peculiaria poſt ſe requirit:vt,

Facio te certiorem, & non certum, niſi metri cauſa. Facio tibi gratum ſacrificium, dicimus: & non, Ago tibi gratũ. Facio iacturam, damnum, naufragium: & non, Paſſus ſum iacturam, naufragium. Facio poteſtatem: & non, Do poteſtatem.

De Parentheſi, per Quis & Is. Cap. 175.

Quæ pietas, cuius pietatis, qua pietate,
Eſt ea ſic pietas, pro tanta dic pietate.

Quæ pietas, cuius pietatis, & qua pietate, quaſi per parentheſin eleganter inſerimus: ſicut Ea pietate, eius pietatis, ea pietas: pro tanta pietate, tãtæ pietatis, & tanta pietas: vt Quintilianus, Si potuiſſet redimere oculos matris (qua pietate fuit) vicarios ſuos dediſſet: id eſt, Tanta pietate fuit in matrem.

De quibuſdam nominibus in io. Cap. 176.

Paſſiuè actiuéque notabit Opinio: verùm
Suſpicio tantùm paſſiuè, obliuio ſignat.

Opinio. Exiſtimatio. Suſpicio. Obliuio. Vituperatio. Vacatio. Donatio.

Opinio & Exiſtimatio tam actiuè, quàm paßiuè ſumuntur: vt, Veni in opinionẽ: id eſt, quam ego habeo, vel quæ de me habetur. Suſpicio tamen, Obliuio, Vituperatio & Vacatio, ſemper paßiuè ſignificant: vt, Veni in obliuionem: id eſt, ſum oblitus. Cætera verò verbalia in io, à ſupinis actiuorum deducta, communiter ſignificant: vt, Donatio mariti, actiuè: Donatio bonorum, paßiué.

De Malè. Cap. 177.

Perniciem, errorem, vitium quondam Malè ſignat.

Aduerbium Malè, iũctum ſuis propriis verbis, aliquando perniciem ſignificat: vt, Malè cogito: id eſt, in alterius perniciem cogito. Quandoque errorẽ, vt Malè cogito, Malè opinor. Nõnunquam vitium, vt Malè dico, Malè de te ſentio. Interdum infamor innuit, vt Malè audio: id eſt, in-

famor. Contrarium autem ſenſum aduerbium Bene *importat: vt* Bene *iudico,* Bene *ſentio,* Bene *audio.*

De Loco patris,& In locum patris. Cap.178.

Eſſe loco patris,dicas pro patre notare:
Inque locum verbum eſt,quale eſt ſuccedo,requirit.

Te *loco patris habeo,dicimus: pro eo quod eſt,*Te ea *charitate, qua patrem,proſequor: ſed loco voluptatis, ſignificat voluptuoſum.* In *locum verò,verbũ expetit motus,quale eſt* Succedo.Vnde *non rectè dicetur,*Ero *tibi in patrem,ſed* Ero *tibi pater.*

De Nihil ad. Cap. 179.

Cõparat hoc Nihil ad,valde,atque parum manifeſtãt.

Hic *loquendi modus,* Nihil ad, *pro* Valde *parum,ad comparationem ponitur: vt* Terentius, Eſt ne Thais (*vt fertur) formoſa?* Sanè, *ſed nihil ad noſtram hanc: id eſt, valde parum ad comparationem noſtræ huius.*

De Memoria,Memoriter. Cap. 180.

Vult teneo nomen memini:aſt aduerbia Narro.
Complector,Repeto,rectè donabis vtrunque.

Memoria nomen, à memini,& Memoriter aduerbiũ, diuerſis verbis aliquando iunguntur . nam Memoria *teneo,dicimus,& non* Memoriter:*&* Narro,*pronũtio memoriter,& non memoria .* Complector *tamen &* Repeto,*vtrunque admittunt: vt,*Repeto *memoriter,vel* Repeto *memoria:*Complector *memoria,& memoriter.*

De Facio iniuriam & Afficio iniuria. Cap.181.

Diuerſos caſus Facio Afficióque requirunt.

Facio *&* Afficio,*diuerſis conſtruuntur caſibus.* Dicimus *enim,*Facio *tibi iniuriam,vel contumeliam: &* Afficio *te iniuriis & contumeliis.*

LIBER QVARTVS.

Libertus & Libertinus. Cap. 182.

L Ibertinus erit, fuerit qui tempore ſeruus:
Sed ſi patronus fuerit, Libertus habetur.

Libertus & Libertinus differunt. nam Libertinus eſt adiectiuum, cui per contrarium ſenſum pro relatiuo datur Ingenuus, ſignificátque eum qui iuſta ſeruitute manumiſſus eſt. Libertus verò, eſt ſubſtantiuum, denotans eum qui patronũ adhuc habet: cuius relatiuum eſt Patronus.

Actus & Actio, Acceſſus, Acceſſio. Cap. 183.

Vs verbale & io, ſimilis ſunt ſignificati:
Geſtio ſed geſtus, ſic Actus & actio, diſtant,
Acceſſus, ſimul atque acceſſio: pluráque iunge.

Verbalia in us & io, à ſupinis profecta, ſimilis ſunt ſignificationis: vt, Cultus & cultio, Motus & motio. Excipiuntur tamen Geſtus & Geſtio: nam Geſtus, eſt quaſi pronũtiatio corporis: Geſtio verò, adminiſtratio & actio. Acceſſus ſimiliter, eſt aditio atque appropinquatio: Acceſio autem, adiectio atque incrementum. Plura denique verbalia quæ poſitionem habent in io, tolluntur: nam latius ſignificare ſolent: vt, Aratio, Poſſeſſio. Quædam præterea in us, pro perſonis accipiuntur: vt, Conuentus: id eſt, homines qui in vnum locum conuenerunt.

Obſeruatio & Obſeruantia. Cap. 184.

Obſeruatio fit ſpectando, ſiue notando:
Obſeruantia ſed ſtudioſè fit venerando.

Obſeruantia & Obſeruatio differunt. Nam Obſeruatio eſt annotatio, ſiue animaduerſio: deſcendit enim ab Obſeruo, quod eſt cuſtodio. Obſeruantia verò eſt veneratio, ſiue honoris exhibitio: & tunc fit ab Obſeruo, quod eſt veneror, vel admiror.

Potus & Potio. Cap. 185

Potus corpus alit, medici ſed potio ſanat.

Potus & Potio differunt. Nam Potus, nutrimenti cauſa datur: Potio verò, eſt medicinæ.

Senes, Veteres, Antiqui. Cap. 186.

Eſſe ſenem ex annis, Veteres ex tempore dicas,
Antiquos, veteres: nonnunquam dic & vtrunque.

Senes, à propriis annis dicuntur, vt Sexagenarius homo, ſenex dicitur: Veteres verò, ab exacto tempore: vt Remus & Romulus. Antiqui autem ad vtrunque referuntur, ſed propriè veteres ſignant: vt, Vrbs antiqua fuit Carthago.

Culpa, Defectio, Defectus. Cap. 187.

Abſentem dicit Defectus, Culpa reatum:
Diſceſſum armigerûm verùm Defectio ſignat.

Defectus, abſentiam alicuius qui præſens eſſe debet, propriè ſignificat: vt, Defectu medici, multi pereunt. Culpa verò errorem ſeu vitium denotat: vt, Culpa ignari medici, multi pereunt: id eſt, errore medici. Defectio, receſſionem & quaſi rebellionem dicit: vt, Defectione militum Dares periit: id eſt receſſione: Deficere enim, eſt recedere, & quaſi rebellare. Deficere.

Fama & Rumor. Cap. 188.

Fama datur laudi, pro qua non Rumor habetur.

Fama & Rumor idē ſibi volunt: aliquoties tamē Fama in laudē dicitur, pro qua nō aptè Rumor ponitur: vt fama

Fabiorum, Metellorum, & eorum qui viuunt: vt, Fama mea, fama tua, & non Rumor meus, rumor tuus, dicimus.

Murus, Paries: Porta, & Ianua. Cap. 189.

Eſt vrbis Murus, Paries dic eſſe domorum:
Porta datur muris, paries tibi Ianua fiet.

Murus, eſt vrbis lapideus ambitus: Paries, eſt domorum. Sic etiam Ianua & Porta differre videntur: nam Porta eſt murorum & Ianua domorum.

Geſta & Acta. Cap. 190.

Geſta canunt publicas res magnas, Acta minores.

Geſta, de rebus maioribus ad rem publicam ſpectantibus dicuntur: vt, Geſta Cæſaris: Acta verò de rebus priuatis & minoribus: vt Cicero, Equidē ſic axiſtimo, nihil tam eſſe in actis Cæſaris, quàm leges Cæſaris.

Natale & Natales. Cap. 191.

De Natale diem, Natales conditionem.

Natale & Natalis, vtrunque ſubſtantiuum, diem natiuitatis innuit. Natales verò tantùm pluraliter, ſanguinis conditiones: vt, Generoſi natales, Obſcuri natales.

Præceptum & Præceptiones, Inſtituta, Inſtitutiones. Cap. 192.

Præceptum dicit, quicquid Præceptio ſignat.
Inſtituo verò diſtantia nomina format.

Præcepta & Præceptiones, indifferenter pro diſciplina ponũtur. Inſtituta verò, ab Inſtituo ducta, ſunt mores conſilio & ratione ſumpti: Inſtitutiones autem, libri ſunt, & præceptiones quibus homines inſtituuntur.

Aduocatus & Patronus & Cliens. Cap. 193.

Tutari eſt præſtò in tus nomen ab Aduoco ductum,
Sed Patronus agit cauſas: famuluſque Cliens eſt.

Aduocatus & Patronus differunt: nam Aduocatus, generalius nomen eſt: qui officij gratia in alterius cauſa adeſt, etiam ſi nihil dicat: Patronus autem eſt, qui agit cauſam, ſed accuſati, aut qui libertum defendit. Cliens præterea eſt, qui ſub alterius tutela eſt, aut qui ſectator eſt, & penè famulus.

Facies & Vultus. Cap.194.

Corporis eſt facies, animi ſed dicito Vultus.

Facies, ad corpus refertur: vt, Pulchra facie mulier: Vultus verò ad animum, & ad volũtatem: vt, Irato vultu, & mæſto vultu mihi videris.

Series & Ordo. Cap.195.

Continua eſt rerum Series progreſſio: verùm
Ordo loco proprio rerum digeſtio fiet.

Ordo, eſt in ſuo loco rerum digeſtio, ſeu collocatio: vt, Septem ſunt ſacri ordines. Series verò, eſt continua rerum progreſſio: vt, In ſerie orationis: id eſt, in continuatione textus.

Decus & Dedecus, Decor. Cap.196.

Eſt Decus ex geſtis laus quædam, Dedecus obſtat,
Sed Decor eſt rerum perſonarúmque venuſtas.

Decus propriè eſt quædam ex bene geſtis honorificentia: cuius contrarium eſt Dedecus, quod ignominiam ſignificat: vt, Decus militiæ, Dedecus ignauiæ: vnde Decoro, decoras, decorare: id eſt, honeſto, honeſtas, honeſtare. Decor autem, eſt pulchritudo & quædam venuſtas corporis, & aliquoties transfertur ad virtutes: vnde Decorum, id eſt, idipſum honeſtum & pulchrum. Decoro. Decorum.

Iocus & Ludus. Cap.197.

Eſt Iocus in verbis, in factis Ludus habetur.

E'ſtque voluptatis Luſus:ſed non ita ſemper.

Iocus fit in verbis: Ludus verò in factis. Sæpe tamen confunditur differentia. Ludus præterea à Luſu ſic differt: Nam Ludus tum periculum, tum ſpem ſibi proponit: Luſus autem meram voluptatem. Adde Ludum aliquoties pro ſchola poni: vnde Ludimagiſter.

Libertas & Licentia. Cap.198.

Eſt bona libertas:ſed praua Licentia fertur.

Libertas in loquendo accipitur in bonum: Licentia verò ferè in malum: vt Quintilianus, In aliis libertas eſt, in aliis licentia vocatur.

Indulgentia & Venia. Cap.199.

Indulgentia ſit quædam permiſſio mollis.

Indulgentia, eſt obſequens permiſſio, atque mollis educatio: vt, Blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos. Venia verò, eſt culpæ remiſſio: & interdum pro indulgentia accipitur: vt Cicero, Dabitis mihi hanc veniam: id eſt indulgebitis.

Ambitio & Ambitus. Cap.200.

Ambitio eſt animi: verùm Ambitus extat in actu.

Ambitio, eſt quædã in animo præter modum, honoris, aut laudis cupiditas: Ambitus verò eſt in actu. Quicquid Ambitioſus. *ambitus facit, ambitio facere compellit: vnde Ambitioſus.*

Vicus, Suburbana, Caſtrum, Oppidum, Vicinia. Cap.201.

Pars vrbis Vicus, ſi tantùm fiat in vrbe:
Eſt ſeptũ muris Caſtrũ: Oppidum & omnis habetur
Vrbs, præter Romam: aſt homines Vicinia dicas.

Vicus eſt pars vrbis in vrbe ædificata: nam quæ in ſuburbio eſt, Suburbana vocantur. Quæ verò extra vrbem, frequentia villarum dicũtur. Caſtrum, eſt locus mu-

ris munitus, à quo Caſtellum. Sed Oppidum de qualibet Caſtellum.
vrbe dici poteſt, præterquam de Roma. Vicinia inſuper, eſt vicinorum congregatio.

Commentum, Commentarium. Cap. 202.

Fictio Commentum eſt: ſunt Commentaria libri.

Commentarius maſculini, ſeu Commentarium neutri generis, liber eſt capita rerum complectens. Commentum verò, compendioſa excogitatio, ſeu fictio.

Cœnaculum & Cœnatio. Cap. 203.

Summis Cœnaculum, Cœnatio ſed ſit in imis.

Cœnaculum locus eſt ad cœnandum, ſed in ſuperiori loco: & interdum pro parte domus ſuperiore accipitur. Cœnatio verò, locus ad cœnandum, ſed in imo.

Epulum, Epulæ & Dapes. Cap. 204.

Vulgares Epulas, Epulum ſolenne notabis:
Dáque Dapes ſuperis, homini vel ſacra ferenti.

Epulæ ſunt vulgares cibi in vſum noſtrum comparati: Epulum verò, ſolenniores cibi in publicis conuiuiis exhibiti. Dapes autem ſunt deorum, vel cibi noſtri in deorum ſacrificiis.

Seges & Fruges. Cap. 205.

Ex quibus eſt panis nondum demeſſa Seges ſit:
Ex fructu quicquid nos nutrit, dicito Fruges.

Seges, eſt eorum ſeminum ex quibus conficitur panis, ſed nondum demeſſa: aliquoties tamen ipſam humum ad accipienda ipſa ſemina ſubactam ſignificat: vt Virgilius, Illa ſeges demum votis reſpondet auari. Fruges verò, eſt quicquid ex fructu terræ, in alimoniam vertimus: vt pruna, poma, & ſimilia.

Sementis & Meſſis. Cap. 206.

Sementis ſatio, Meſſis ſed meſſio ſiet.

Sementis eſt ſatio, ſiue ſeminatio: Meſsis verò eſt ipſa meßio, aut matura ſeges: vt, Qualem ſementem feceris, ita & metes.

Malleolus, Sarmentum. Cap 107.

Malleolus pars eſt: totum Sarmenta vocabis.

Malleolus, eſt pars ſarmenti, in modum mallei roſtra habens, plantationi aptus. Sarmentum verò totum quod ex vite reſecatur. Quod autem ex vite arefactum eſt, tam Malleolus, quàm Sarmentum vocari poteſt.

Arbor & Frutex. Cap 108.

Non Arbor, non herba Frutex, medium inter vtrunque eſt.

Frutex non arbor, nec herba eſt: nam perennis eſt, & ad iuſtam arboris magnitudinem non aſſurgit: Herba autem eſt, quæ terræ adhæret, & hyeme demoritur: eſt igitur medium inter vtrunque.

Acinus, Bacca, Pomum, Nux. Cap.109.

Sunt Acini fructus denſi, Baccæque minuti:

Poma tamen fructus maiores cortice molli.

Acini, ſunt fructus minutiores denſius naſcentes: vt, Hederæ, ſambuci grana. Baccæ etiam fructus minuti, ſed rarius naſcentes: vt, Lauri & oliuæ grana. Poma verò, maiores ſunt arborum fructus, corticem mollem habentes, vt Mala, Pyra, Pruna, & ſimilia.

Strepitus, Crepitus, Fremitus, Stridor. Cap.110.

Corporis ex tactu Strepitus fit, ſed violentus

Eſt Crepitus ſonus: at Fremitus nunc murmur habetur.

Acrior & reſonans Stridor colliſio fiet.

Increpo. *Crepitus, ſonus eſt violentus: vnde fit Increpo, as, quod eſt, immani ſonitu reprehẽdo. Crepitus tamen ſpeciali vo-*

cabulo, eſt turpis ſonus. Strepitus verò ex corporum contactu, & propriè pedum, ſonus eſt. Fremitus autem eſt tam ſonus fluctuum, quàm murmur in populo. Stridor, eſt acrior & quaſi ſibilans colliſio: vt Stridor dentium.

Officium & Officia. Cap.211.

Officium propriè virtutis & actio fiet.

Officium, eſt virtutis actio pro loco, pro tempore, & pro rerum dignitate: quo factum eſt etiam vt Officia ſignificent beneficia ſiue obſequia: vt Cicero, Odioſum ſanè genus hominum officia exprobrantium.

Hiſtrio & Mimus. Cap.212.

Perſonam obſcœnè Mimus gerit, Hiſtrio comptè.

Hiſtrio, eſt qui perſonatus in ſcena voce & corporis geſtu fabulas agit: Mimus verò, qui extra vel intra ſcenam geſticulationes quaſdam obſcœnè exercet.

Actor & Autor. Cap.213.

Actor agit cauſas, ſed factor dicitur Autor.

Actor dicitur orator qui agit cauſam: Autor verò eſt, vt ita dicam, factor: vt, Poeta Virgilius eſt autor. Autor præterea hominem in quo eſt poteſtas ſiue dignitas, denotat: vnde Autorare, id eſt obligare: ex quo fit Autoramentum, quod eſt quaſi ſtipendium cuiuſdam militiæ. Autorare. Autoramẽtum.

Orphanus & Pupillus. Cap.214.

Quo caret Orphanus, Pupillo tutor habetur.

Orphanus, eſt qui caret patre, præſidióque paterno. Pupillus verò, qui caret patre, ſed tantiſper dum eſt in ea ætate cui adhibetur tutor.

Triclinium, Conclaue, Aula. Cap.215.

Amplior Aula locus, fiet Conclaue ſecretum:

Tres menſas retinent, & tot Triclinia lectos.

Aula Græcè, Latinè Atrium ſeu amplior locus dicitur. Conclaue autem, pars quædam remotior & ſecretior, in qua homines confabulari ſolent. Triclinium verò, eſt conclaue diſcubitorium, à tribus menſis thoríſve appellatum.

Penus, Commeatus, Macellum. Cap. 216.

Eſt publicus victus, nomen quod Commeo donat.
Priuatus, Penus eſt: carnes vendítque Macellum.

Commeatus ea omnia continet, quæ ad victum publicum ſpectant, & præcipuè annonam: Penus verò, quæ ad priuatum, ſi domi recondita ſunt: vnde Penarium, repoſitorium dicitur. Macellum præterea, pro loco vbi annona & præcipuè caro venditur, ſæpe ponitur.

Ceruix, Iugulus, Collum. Cap. 217.

Eſt colli anterior Iugulus pars: poſtera Ceruix.

Iugulus, eſt colli pars anterior: Ceruix verò, poſterior. Collum autem omnes partes in ſolidum complectitur.

Sinus & Gremium. Cap. 218.

A manuum amplexu Sinus eſt: Gremiū femur optat.

Sinus, eſt in complexu brachiorum, Gremium verò femorũ: vt quum lactantur infantes, ad ſinum admouentur: quando autem tractantur, ad gremium excipi ſolent.

Socius, Comes, Sodalis. Cap. 219.

Par Socius, Comes eſt minor, eſt comíſque benignus:
Eſt ſocius Comes in magnis, leuis éſtque Sodalis.

Socius dicitur, qui par eſt: Comes verò minor, quippe qui ſequitur, & ducem habet: aliquoties tamen in rebus ſeriis & arduis, pro ſocio ponitur: vt Virgilius, Comes infœlicis Vlyſſi. A quo Comis, id eſt benignus. Sodalis autem, eſt ſocius, ſed ferè in rebus leuibus & voluptuoſis.

Pompa & Spectaculum. Cap. 220.

Pompa eſt ſpectaculum: ſed non Spectacula, pompa.

Pompa omnis, eſt ſpectaculum, ſed non contrà. Pompa enim eſt quædam vel in proſperis, vel in aduerſis oſtentatio: Spectaculum verò, quicquid ſpectatur.

Senecta, Senium, Senectus. Cap. 221.

Ætas eſt Senium, cui tu adde Senecta, Senectus.
Ipſa Iuuenta dea eſt, cœtus iuuenúmque Iuuentus.

Senium, Senectus, & Senecta, pro ſenili ætate ponuntur. Iuuenta verò, eſt iuuenilis ætas, & aliquãdo dea iuuentutis: Iuuentus autem eſt iuuenum frequentia.

Continentia & Abſtinentia. Cap. 222.

Abſtinet externis, internis Continet alter.

Abſtinemus ab eo quod extra nos eſt, ne ad nos perueniat: vnde Abſtinentia, iuſtitia quæ ab alienis nos abſtinemus. Continemus verò ab eo quod intra nos eſt, ne defluat: à quo Continentia, modeſtia qua nos à voluptatibus continemus. Abſtineo. Contineo.

Pecus pecudis, & Pecus pecoris. Cap. 223.

Armentũ, pecorum maiorũ eſt, Grexque minorũ.
Paſcit homo Pecus hoc: ſed ouem quãdoque notabit.

Armentum, eſt maiorum animalium cõgregatio, vt ceruorum: Grex verò minorum, vt pecudum, caprarum. Pecus autem eſt animal quod ſub imperio hominum pabulo terræ paſcitur: vt equus, aſinus. Pecus tamen pecòris, pro multitudine pecudum, aliquoties reperitur: vt Virgilius, Dic mihi Damœta, cuium pecus? Et interdum pro ſola oue: vt Quintilianus, Cur in vſum veſtium ſæpe pecori lanæ detrahuntur. Cæteræ quadrupedes, Feræ ſunt: harũ quæcunque manſuefactæ ſunt, Cicures vocantur, à Cicuro verbo, quod eſt manſuefacio. Cicuro.

Collis, Iugum, Cliuus. Cap. 224.

Collis,monticulus:Iuga vertex eſt:quoque Cliuus,
Summum collis,& in mare Promontoria,montes.

Collis,eſt paruus mons: Iugum,eſt montis vertex ſeu ſummitas: Cliuus,eſt mollis & planus in colle ſitus: Promontorium autem,mons eſt in mare prominens.

Officina & Taberna. Cap.225.

Eſt vbi fiet opus,nomen quod format in ina
Efficio:publicis vænit mercéſque Tabernis.

Officina ab efficio dicta eſt,vbi opera fiunt: Taberna verò,vbi opera ipſa venduntur.

Auis & Volucris. Cap.226.

Eſt,quæcunque volat,Volucris:ſed Auis parit oua.

Auis, eſt quæcunque pennis prædita parit oua, præter veſpertilionem: Volucris verò, quæcunque volat, vt Apes,Veſpa.

Indoles. Cap.227.

Ingenita & præſtans ſignatur in Indole virtus.

Indoles,eſt in pueris futuræ virtutis ſignificatio. Aliquoties pro quadam animi generoſitate etiam in viris capitur: vt Cicero, In quibus eſt virtutis indoles,commouentur. Quando verò ad inanimata transfertur,eſt futuri iudicij ſignificatio: vt Liuius,Sicut in frugibus pecudibúſque non tantum ſemina ad ſeruandam indolem valent,quantum terræ proprietas,

Concio. Cap.228.

Concio,vel cœtus populi, aut oratio fiet.

Concio,eſt populi multitudo congregata ad audiendum oratorem concionantem in bonum publicum, quæ Græcè ἐκκλησία dicitur.Aliquoties tamen eſt ipſa oratio.

Leges & Iura. Cap.229.

Principis & populi Leges,ſed Iura magis ſunt.

Leges, principis ſunt, aut liberi populi, quæ etiam Rogationes *dicuntur:* Iura *autẽ magis generalia ſunt.* Nam *ius aliud gentium, aliud ciuile, aliud naturale dicitur.*

Aceruus, Strues, Strages, Sarcina. Cap. 230.

Congeries rerum paruarum fiet Aceruus,
Lignorúmque Strues. ſed ad vſum eſt Sarcina faſcis.
Eſtque Strages propriè cæſorum turba iacentûm.

Aceruus, eſt rerum minutarum congeries, vt frumenti, ſalis, leguminis: aliquando maiorum, vt Aceruus *ſcutorũ.* Strues *autem lignorum:* Strages *verò, cadauerum interfectorum congeries. ſed* Sarcina *eſt vtenſilium, & eorum præcipuè quæ ad cultum pertinent.*

Myſterium & Miniſterium. Cap. 231.

Arcanæ propriè res ſunt Myſteria ſacræ:
Eſtque Miniſterium quaſi ſemper opella miniſtri.

Myſterium, res eſt arcana ſacris tantùm cognita: Miniſterium *verò, eſt miniſtri opera. Sed in plurali* Miniſteria, *pro miniſtris vſurpantur: vt Quintilianus,* Non *torſit miniſteria cæci.*

Scurra & Paraſitus. Cap. 232.

Riſum Scurra mouet, loquitur pro ventre Paraſtus.

Scurra, eſt qui riſum ab audientibus captat, non ſalua perſonæ dignitate. Paraſitus *verò, qui omnia ad aſſentationem, ventris gratia facit, dicitur.*

Bucca, Gena, Maxilla. Cap. 233.

Oris pars Bucca eſt, Gena ſit membrana oculorum:
Mâla, genæ & buccæ medium: Maxilla ſed oris
Pars eſt interior, genuinum alióſque recondens.

Bucca, eſt maxillarum ac oris pars, quæ vento inflari ſolet. Gena, *membrana oculum tegens.* Mâla, *illud inter*

genam & buccam in ſpeciem mali rotundum: Maxilla, interior pars oris molares continens, quorum occultiſſimus, Genuinus dicitur. Genuinus.

Paſtio, Paſtus: Eſca: Paſco, Paſcor. Cap. 234.

Eſt hominum Paſtus, pecudum ſed Paſtio fiet.
Pabula brutorum: ſed cunctis Eſca paratur.
Eſt hominum Veſci: ſed brutum dicito Paſci.

Paſtus homini competit: Paſtio & Pabulum, pecudibus, & alijs quoque brutis. Eſca omnibus edentibus: vnde ineſcare: id eſt, per eſcam capere. Paſci propriè eſt beſtiarum: Veſci verò, hominum. Ineſcare.

Accola & Incola. Cap. 235.

Accola, qui iuxta: haud propriam incolit Incola terram.

Accola, qui iuxta aquam, vel montes, vel vrbes habitat: Incola verò, qui in alterius regione, & in aliena ciuitate, & non propria. Inquilinus autem, qui in alieno priuato, & propriè conducto loco habitat. Inquilinus.

Campus, Aruum & Nemus. Cap. 236.

Campus planities terræ eſt: ſemen capit Aruum.

Campus, eſt grandis & ampla terræ planities, vt in vrbe plateæ grandes. nam anguſtiores plateæ, dicuntur Areæ. Aruum autem dicitur, in quo frumentum ſeritur. Ager verò, territorium.

Sylua, Lucus, Saltus. Cap. 237.

Cædua Sylua tibi eſt: ſylua eſt incædua, Lucus:
Eſtque voluptatis Nemus, & ſylua inuia Saltus.

Sylua, generalius nomen eſt, ſolétque præterea eſſe cædua: Lucus verò, eſt ſylua incædua numini dicata: Saltus autem, ſylua inuia. Sed Nemus, voluptatis cauſa comparatum, & amœnitatis plenum eſt.

Femen, Femur, & Coxa. Cap. 238.

Ante Femur capiet, poſt Femen, Coxáque ſupra.

Femur, partem anteriorem ſignificat: Femen, poſteriorem: Coxa verò, pro parte ſupra femora accipitur.

Crimen & Flagitium. Cap. 239.

Delictum eſt Crimen, veneris ſed Flagitium ſit.

Crimen eſt delictum, aut ipſa criminatio: Flagitium verò, crimen eſt, & propriè in libidine, flagris dignum. Sed pro cæteris quoque peccatis aliquoties ſumitur.

Vectigal & Fœnus. Cap. 240.

Ex terra Fœnus, de omni Vectigal habetur.

Fœnus, eſt ex ipſo ſolo prouentus, & aliquoties ad vſuram tranſfertur: Vectigal verò ex omni prædio tam publico, quàm priuato prouentus eſt: vt Cicero, Non intelligunt homines, quantum vectigal ſit parſimonia.

Luctus. Cap. 241.

Eſto dolor Luctus, lugubris ſit quoque veſtis.

Luctus, eſt dolor qui extrinſecus proditur, aut habitus lugubris.

Otium. Cap. 242.

Et requiem, & ſtudium chartæ, nunc Otia ſignant.

Otiũ, eſt vacatio à labore, & aliquãdo pro ſtudio literarum ponitur: vt Cicero, Quid dulcius otio literario?

Amor, Charitas & Penuria. Cap. 243.

Fertur Amor cunctis, ſed in as quos Charus habebit,
Eſt homini tantùm: quondam penuria fiet.

Amor, tanquam genus, ad omnia: Charitas verò, tanquam ſpecies, ad homines tantùm refertur. Caritas etiam pro penuria frumenti & annonæ, interdum accipitur.

Bellum, Præliũ, Pugna, Certamen. Cap. 244.

Pugna fit in verbis, Certamen, Prælium in armis.
Bellum pro pugna, & belli pro tempore dices.

Pugna, eſt verborum certamen etiam citra arma. Prælium verò, ipſum armorum certamen. Bellum autem, tum ipſam pugnam, tum totum tempus, quo in militia ſumus, ſignificat.

Seditio & Factio. Cap. 245.

Seditio lis eſt, diuiſio Factio fiet.

Seditio à ſeorſum ſedendo dicta eſt, quando populo ſecum diſcordante res ad manum vocatur: Factio verò, eſt diuiſio ciuium in diuerſa ſtudia.

Copia. Cap. 246.

Copia abundat, & eſt cum do, faciòve, facultas.

Copia, eſt rerum abundantia: & in plurali numero, militum multitudo. Sed Copia cum verbo Facio, & apud poetas cum Do, eſt facultas ſeu poteſtas: vt, Facio tibi copiam reſpiciendi libros meos.

Elogium. Cap. 247.

Elogium, eſt ſceleris, vel teſtificatio laudis.

Elogium, eſt de aliquo teſtificatio, honoris ſiue vituperationis cauſâ. Aliquoties eſt ſimplicis ſententiæ teſtificatio: vt Cicero, Solonis quidem ſapientis elogium eſt: id eſt, ſententia Solonis.

Condictio & Conditio. Cap. 248.

Conditio ſors eſt: Condictio at actio quædam.

Conditio à condo, eſt fortunæ qualitas ac ſors: vt, Homo bonæ conditionis: id eſt diues. Interdum pro electione ponitur: vt Quintilianus, Oblata eſt à iuuenibus Tyrãno conditio: id eſt electio. Condictio verò à Condico eſt denuntiatio: ſed raro in vſu reperitur.

Frondes & Folia. Cap. 249.

Arboribus tantùm Frondes,Folia omnibus inſunt.

Frondes tantùm ſunt arborum: Folia verò arborum, florum & herbarum.

Vigiliæ & Excubiæ. Cap. 250.

Nocte Vigil tantùm,Excubiæ ſunt nocte diéque.

Excubiæ diurnæ & nocturnæ dicuntur:Vigiliæ uerò, tantùm nocturnæ fiunt.

Suffragium. Cap. 251.

Auxilium quondam,& gratæ Suffragia voces.

Suffragia ſunt voces in electionibus gratæ: vnde factum eſt vt pro auxilio ſæpe ponamus: & Suffragor,pro auxilium fero:Refragor,pro repugno.

Catulus,Pullus,Fœtus,Hinnulus. Cap.252.

Sunt Pulli pecudum,Fœtus ſunt piſcis,auiſque:
Hinnulus eſt cerui,fiunt Catulíque ferarum.

Pulli,ſunt pecudum:Fœtus,piſcium & auium.Hinnulus autem eſt cerui. Catuli verò,propriè ſunt filioli canũ: plerunque ferarum, piſcium & ſerpentum,qui non edũt oua.

Lues &Peſtis. Cap.253.

Praua Lues genus eſt,ſpecies ſed morbida Peſtis.

Lues, eſt genus morbi,ſiue homines corripiens ſiue pecora. Peſtis verò ſpecies, quæ citò occidit, aut citò abit: quæ eadẽ dicitur Peſtilẽtia,& interdũ pro lue accipitur.

Corpus & Caro. Cap.254.

Non Carnes viuas,melius ſed Corpora dices.

Corpus,magis viuentiũ dicitur,quàm Caro:ſic viuẽs, Corpulentus,magis quàm Carnoſus.Quippe alij Carnem à cadendo:alij,quòd vita careat,dictam volunt.

Lamina & Bractea. Cap.255.

Bractea pertenuis,ſed Lamina denſior extat.

Lamina denſior eſt maſſa: vt ex ferro, plumbo. Bractea verò, plicabilis maſſa eſt: vt aurea, argentea.

Munimentum & Monumentum. Cap. 256.

Nos Monumenta monent, Munimenta quoque munit.

Monumenta ſunt ſepulchra vel ſtatuæ, & ſimilia quæ nos alicuius rei præteritæ monent: Munimenta verò, ſunt caſtrorum munitiones, & cæterarum rerum quæ contra hoſtes nos muniunt.

Opus & Opera. Cap. 257.

Eſt Opus effectus, ſed dic Operam eſſe laborem.

Opus, eſt effectus fructúſque operæ: vt Opus Virgilij. Opera verò, eſt labor ſeu actio: vnde Operæpretium: id eſt fructuoſum.

Solamen & Conſolatio. Cap. 258.

In re Solamen fit: Conſolatio verbis.

Solari. Conſolari. *Solamen & Solatium, in re, ſicut Solari, de re tantùm dicitur. Conſolatio verò in verbis, ſicut Conſolari.*

Affectus & Affectio. Cap. 259.

Pars animæ, Affectus, nec non Affectio fiet.

Affectus & Affectio, idem ſunt: nempe pars illa animæ qualitatis, quæ ex regione rationis eſt. Quicquid enim in anima præter partem illam memoriæ, ratio non eſt, Affectus dicitur: & rurſus, quicquid non eſt Affectus, Affecto. *ratio eſt: vnde Affecto, as, are.*

Latebræ & Latibula. Cap. 260.

Sunt hominum Latebræ, Lati ſed bula ſunto ferarũ.

Latebræ propriè ſunt hominum: Latibula verò ferarũ: ſed interdũ confunditur differentia: vt Liuius, Inter vepres, inter latebras ferarum, noctem vnam delituit. Aduerte lector, latibula per Tmeſin.

Lux,Dies,Tenebræ & Nox. Cap.261.

Tu pro luce Diem,Tenebras pro Nocte locato:
Prima tamen Lux,eſt tantùm pars prima diei:
Hæc petit ipſa Dies,pro certo tempore vult hic.

Lux pro die,& Tenebræ pro nocte accipi ſolẽt:ſed Prima luce,pro prima die,nõ ponemus:verùm pro diei principio ſiue diluculo:ſicut nec Primis tenebris,pro prima nocte,ſed pro principio noctis. Dies præterea pro tẽpore certo, eſt maſculini generis: ſed pro incerto, eſt fœminini.

Orator,Rhetor & Declamator. Cap.262.

Doctus agit cauſas Orator,ſed docet artem
Rhetor,& exercet ſe Declamator,vt oret.

Orator,eſt qui cauſas orat: Rhetor,eſt rhetoricæ profeſſor: Declamator autem,qui ſe exercet,vt poſtea in veris cauſis orare poſſit.

Peregrinus & Hoſpes. Cap.263.

Non ſtat in vrbe ſua Peregrinus,& Hoſpes habetur
In noſtra: Hoſpitium locus eſt,vel ſignat amorem.

Peregrinus,eſt qui in ciuitate ſua nõ eſt: Hoſpes verò, qui in noſtra, non ſua vrbe eſt: quem extraneum imperiti vocant: & tam pro eo qui recipit, quàm qui recipitur, poni ſolet: vt Ouidius, Non hoſpes ab hoſpite tutus. Vnde Hoſpitium, pro diuerſorio, & interdum pro amicitia ponitur. Hoſpitium.

Conciuis & Conterraneus. Cap.264.

Conterraneus eſt in terra natus eadem:
Eiuſdem patriæ tantùm Conciuis habetur.

Conterraneus, eſt eiuſdem terræ: Conciuis verò, eſt eiuſdem ciuitatis.

Prætor, Conſul, Quæſtor, Ædilis,Cenſor,Senator. Cap.265.

Prætor adhuc gerit officium, Conſul quoque, Quæſtor.
Mobile cum ſimili geſſit Quæſtorius olim:
Proconſul geſſit, remanet cui certa poteſtas.

Prætor, qui præturam: Conſul, qui conſulatum: Quæſtor, qui quæſturam: Tribunus, qui tribunatum: Ædilis, qui ædilitatem gerit. Sed adiectiua, Quæſtorius, Prætorius, Conſularis, & ſimilia, qui præturam, quæſturam, conſulatum geſſerunt. Proconſul verò non eſt qui pro alio conſule præeſt prouinciæ, ſed qui cum poteſtate conſulari, extra ordinem ad aliquam prouinciam adminiſtrandam mittitur: & ſic de ſimilibus cenſendum eſt.

De locorũ quorundã nominibus. Cap. 266.

Nomina nata dabunt variè diuerſa locorum.

Diuerſorum locorum nomina, licet penitus coincidant, diuerſa tamen faciunt deriuatiua: vt, Rhegienſes ex oppido Galliæ Ciſalpinæ: Rhegini ex oppido Calabriæ.

Priſcus & Priſtinus. Cap. 267.

Secula Priſca notant, ſed paucos Priſtina menſes.

Priſca dicuntur, quæ ſuperioribus ſeculis, aut ſuperiori ætate fuerunt: vt, Priſci Latini. Priſtina verò, quæ ſuperioribus menſibus, aut annis, noſtráque memoria fuerunt: vt, Priſtina beneficia noſtra.

Proſper, Fœlix. Cap. 268.

Quæ Proſper donat, recipit per proſpera Fœlix.

Proſper eſt, qui proſperitatem dat: Fœlix verò, qui recipit: interdum tamen confuſa ponuntur.

Saluber & Sanus. Cap. 269.

Hoc Sanus retinet, quod res dabit ipſa Salubris.

Salubris eſt, qui ſalutẽ affert: vt aer, cibus, potus, locus, & ſimilia. Sanus verò, qui recipit: vt homo, cateráque

animalia.Aliquando vnum pro altero ponitur.

Iucundus & Gratus. Cap.270.

Gratus in aduerſis,Iucundus at eſto ſecundis.

Iucundus,eſt in proſperis lætus, & qui lætitiæ eſt alteri:Gratus verò,in aduerſis.

Plura,Complura,Plerique. Cap.271.

Plura duo,Complura magis ſignato duobus.
Nonnullos,magnam aut partem,Plerique notabũt.

Plura comparatiui gradus,de duobus dici poteſt: Complura verò , non niſi de pluribus. Plerique autem, modò pro maxima parte,modò pro nonnullis dicere poſſes.

Clarus & Præclarus. Cap.272.

Splendidus eſt Clarus:Præclarus vel bonus eſto.

Clarus & Præclarus, pro ſplendido & illuſtri figuratè ſumuntur. Sed Præclarus, etiam pro bono, vt Luculentus pro magno,ſæpe ponitur. Luculentus.

Feſtus & Feſtiuus. Cap.273.

Eſto dies Feſtus,Feſtiuus candida res eſt.

Feſtus,feſta,feſtum,ad diem pertinet,vt Dies feſtus dicitur:Feſtiuus autem,ad alias res: vt,Oratio feſtiua:id eſt iucunda & candida. Feſtiuum præterea multi pro feſto accipiunt.

Vænale & Vendibile. Cap.274.

Vænalis domus eſt,ſi detur venditioni:
Vendibilis domus eſt,ſtatim quam vendere poſſis.

Vænale à væneo,rem venditioni expoſitam ſignificat: Vendibile à vendo,res eſt quæ facilè vendi poteſt.

Sciens & Prudens feci. Cap.275.

Hoc Prudens feci,quum me facere ipſe ſciebam:
Prudenter feci,cum doctrina,& in honorem.

Sciens ac prudens feci:Inſciens,imprudens feci,hoc eſt,

quum facerem aliquid, ſciui me facere, aut illud ignoraui. ſed, Scienter *& prudenter feci: idem eſt quod cum prudentia & ſcientia feci: & ſemper laudabile eſt. ſicut* Imprudenter *& inſcienter feci, ſemper fuit vituperabile.*

Marinus & Maritimus. Cap. 176.

Accolit ille Maritimus, incolit ipſe Marinus.

Maritimus, eſt mari vicinus, qui mare accolit: vt vrbs, gens maritima*: id eſt, quæ iuxta mare eſt.* Marinus *verò, dicitur ad mare pertinens, aut in eo natus, ſeu ipſum incolens: vt,* Piſcis marinus, Deus marinus *: vnde* Tranſmarinum*, quod trans mare eſt.*

Tranſmarinus.

Frequens & Celebris. Cap. 177.

Paſſiuè locus, actiuè perſona Frequens eſt:

Paſſiuè tantùm Celebris pro re fit vtraque.

Frequens *locus eſt, qui à multis frequētatur: ſed quando de perſona dicitur, actiuè ſumitur: vt,* Homo frequens, Ciues frequentes*: id eſt, qui frequentant.* Celebris *autem ſemper paſsiuè ponitur, & tam ad rem, quàm ad perſonam referri poteſt: vt* Locus celebris, Homo celebris, *qui cum honore celebratur & colitur.*

Ferus & Ferox. Cap. 278.

Crudelis Ferus eſt, animoſum ferto Ferocem.

Ferus *homo, qui animum ferinum habet: vt vrſi, pardi, lupi:* Ferox *verò, qui præanimoſus eſt ad nocendum.*

Corporeus & Corporalis. Cap. 279.

Corporeum dicas quicquid de materia fit:

Eſt in materia quod Corpus format in alis.

Corporeum*, eſt exiſtens ex materia atque ſubſtantia corporea.* Incorporeum *verò, contrarium ſignificat: vt lapis, eſt res corporea: virtus incorporea.* Corporale *verò*

exiſtens in materia, ſubſtantiáque corporea: cuius contrarium eſt Incorporale: *vt* Domus, *fundus, mancipium, corporalia ſunt:* Legatum, *hæreditas, iura, incorporalia ſunt, & non incorporea.*

Laſſus, Laxus, Lapſus, Feſſus, Defeſſus. Cap. 280.

Laſſos & Feſſos animo vel corpore dicis:
Lapſus qui cecidit: ſed Laxus, lentus habetur.

Laſſus & Feſſus, tam animo quàm corpore defatigatus dicitur. Lapſus *à labendo, qui corpore, vel opinione labitur.* Laxus, *qui lentus, mollis eſt & flexibilis: ſed ad inanimata magis refertur: vt* Laxi *funes.* Defeſſus *præterea, &* Defatigatus, *eſt qui præ laſſitudine amplius non poteſt.*

Bonum & Bonitas. Cap. 281.

Eſt generale Bonum: Bonitas clementia fertur.

Bonum, generale nomen eſt, honeſta ſimul & vtilia complectens: vt Bonum *animi, bonum corporis, bonum fortunæ.* Bonitas *verò, idem eſt quod benignitas, ſeu clementia: vt* Dei Bonitas, Patris *bonitas. Aliquando tamen* Bonum *pro bonitate ponitur: vt quum dicimus,* De *æquo bonóque iure: id eſt, quaſi de bona æquitate.*

Lubricus. Cap. 282.

Lubricus eſt locus in quo non conſiſtere poſſis,
Lubricus eſt iuuenis, facilè aut qui labitur anguis.

Lubricus eſt locus in quo nequeas cōſiſtere, nec ingredi: vt Terra *glaciata: inde per trāſlationem* Iuuenes *lubricos vocamus, qui velut in glacie facilè labuntur.* Oculos *quoque lubricos,* Anguillam *lubricam, & ſimilia dicimus.*

Æqualis & Æquabilis. Cap. 283.

Æqualis, pars eſt, Æquabilis, altus at æquè:
Attamen Æqualis quondam ſignato coæuum,

Æqualis, par, & coætaneus ſiue coæuus dicitur: vt Cicero, Síntque pares & æquales in amore. Æquabilis verò, idem eſt quod æquè magnus, & in magnitudine comparabilis: vt, ius æquabile.

Perfidus & Infidus. Cap. 284.

Nullius infidus fidei eſt: tu Perfide fractæ es.

Infidus ab in & fido dicitur, cui non eſt fidendum. Perfidus verò, à nomine fides fidei, eſt qui fidem frangit & violat.

Moratus & Morigeratus. Cap. 285.

Præditus ingenuis Moratus moribus eſto:
Morigeratus erit, qui morem geſſerit vlli.

Moratus, qui bonis moribus eſt præditus: Morigeratus
Morigerus. *verò, qui morem geſsit. vnde Morigerus: id eſt obediens, vel facilè morem gerens.*

Proteruus, Procax, Petulans. Cap. 286.

Maximus eſt Petulās, maiórq; Procax, quoq; paruus
Eſto Proteruus, & in dictis factíſque laceſſens.

Proteruus, Procax, & Petulans, tam in dictis quàm in factis, laſciuiam quandam libidinémque declarant. Sed
Proteruitas. *Proteruus, eſt leuior: vnde Proteruitas, quæ eſt contume-*
Procacitas. *lia leuis. Procax verò, maior: à quo Procacitas, maior con-*
Petulantia. *tumelia. Petulans autem, maximus. hinc Petulantia, id eſt, maxima contumelia.*

Orbus & Cælebs. Cap. 287.

Orbus re priuatus. At eſt ſine coniuge Cælebs.

Orbus dicitur quicunque aliqua re chara priuatus eſt:
Orbitas. *vt parens, amiſsis liberis orbus dicitur: vnde Orbitas. Cæ-*
Cælibatus. *lebs verò, qui ſine vxore eſt, vel fuit: à quo Cælibatus.*

Diuturnus, Diutinus, Serotinus, Maturus, Præcox. Cap. 288.

Per longum tempus ſignare Diutinus inquam,
Ac Diuturnus:ſed tardus Serotinus eſto.
Quod neque fit citius,Maturum dicitur eſſe:
Ante ſuum tempus Præmaturum quoque Præcox.

Diutinus & Diuturnus, vtrunque à diu deriuatum, per longum tempus durans dicitur: vt, Diutina ſeruitus. Serotinus verò, eſt nimis tardus, aut veſpertinus: vt, Hora ſerotina veniam. Maturus autem, qui neque citius coctus eſt, vt Matura ſeges. In perſona etiam figuratè ponitur: vt, Sum maturus audiendæ philoſophiæ. Sed Præmaturus, ante maturitatem fertur, ſicut Præcox ante tempus.

Annuus. Cap.289.

Sũt anni ſemel, aut per totum annum Annua fiunt.

Annuum dicitur, quod per annum totum, aut quod ſemel fit peracto anno: vt Annuus penus, Annua ſacra.

Capitale. Cap.190.

Alterius caput aut petit,aut petitur,Capitale.

Capitale odium dicitur, quod caput & vitam alterius petit: Capitalis homo, cuius caput petitur: Capitale peccatum, non quod petat alterius caput, ſed propter quod caput committentis peti debeat ad pœnam.

Mereo,Meretrix,Meritoria taberna. Cap.291.

À Mereo,Meretrix,puer & Meritorius extant.

À Mereo, meres, quod eſt pro mercede milito, dictæ ſunt Meretrices, ſuam militiam exercentes, ac ſtipendia facientes. Et adiectiuum Meritorius, meritoria, meritorium: vnde Scorta maſcula, pueri meritorij vocantur. Taberna meritoria, quæ pro mercede patet.

Infenſus & Infeſtus. Cap.292.

Infenſus notat iratum,Infeſtúſque moleſtum.

Infeſtare. *Infenſus, eſt vehementer iratus: Infeſtus verò, grauiter moleſtus. Vnde infeſtare, pro moleſtare, ſæpe ponitur.*

Præſens. Cap. 293.

Præſens, auxilians, ſubitum, & tria tempora ſignat.

Præſens, dicitur de re, tam quæ fuit, quàm quæ eſt, & erit: vt Præſens fui, præſens ſum, & præſens ero. Præſens etiam, pro ſubito & non dilato, interdum ponitur: vt Virgilius, Præſentémque viris intentant omnia mortem. Aliquoties pro auxiliante reperitur: vt idem, Nec tam præſentes alibi cognoſcere diuos.

Stultus, Fatuus & Stolidus. Cap. 294.

Inſipiens, Fatuus: non prudens, Stultus habetur.
Naturam pecudum Stolidus ſenſúmque tenebit.

Fatuus, qui planè inſipiens eſt. Stultus, imprudens & improuidus eſt, ſed non inſipiens. Stolidus verò, qui proximè accedit ad pecudum naturam.

Beatus, Fœlix. Cap. 295.

Omni re Fœlix: paulò eſt maiórque Beatus.

Fœlix dicitur, qui bonorum eſt compos. Beatus verò, cui omne bonum in animo eſt erectum: vt Superos beatos dicimus, & penè eoſdem fœlices.

Mollis homo, & Molle opus. Cap. 296.

Molle opus eſt laudi, ſed Mollis homo vitio fit.

Mollis, quando ad homines refertur, in vituperium dicitur: ſignificat enim non conſtantem, & non fortem. Quando verò refertur ad alia, ſæpiſſime in laudem capitur: vt Molle opus: id eſt non durum, & tractabile.

Crudus. Cap. 297.

Eſto recens Crudus, non coctus, ſiue feroci
Aſpectu quidam, vel qui non digerit aptè.

Crudus cibus,non coctus dicitur. Crudus etiam homo vocatur,qui habet cibum in ſtomacho difficilè digeſtibilem,vel qui non facilè digerit: vnde per tranſlationem, hominem crudum appellamus,qui eſt truci aſpectu. Crudus præterea,eſt recẽs: vt Crudus dolor,Crudum vulnus.

In diem,In die:In horam & In horas. Cap.298.
Viuunt I'nque diem,non tempora craſtina curant:
Quottidie I'nque dies ſignat:ſic fertur In horas.

In diem viuere, eſt præſentis diei rationem habere, nihilque cogitare de futuro. In dies verò, idem eſt quod quotidie, ſed petit dictionem incrementi: vt Liuius, Creſcente in dies multitudine. Eandem differentiam obſeruant In horam, & In horas, quam In diem & In dies: vt Cicero, Nec qui in horam viuunt,non modò de fortunis & bonis ciuium, ſed ne de vtilitate quidem ſua cogitauerunt.

LIBER QVINTVS.

Diſco,Ediſco,Dediſco,Inſtruo. Cap.299.

Diſco,vt ſcire queam: memori quò mente recorder,
Ediſco ſed Dedoceo & Dediſco negata.
Inſtruo non doceo eſt,ſed pro diſpono locatur.

Diſcere, eſt vt intelligas: Ediſcere verò,vt memoriter complectaris. Dediſco autem eſt à diſco contrarium,ſicut Dedoceo à doceo: vt,Stultum eſt diſcere dediſcenda. Inſtruere præterea,eſt diſponere: vt,Inſtruo claſſem.

Excogito, Reperio, Inuenio. Cap. 300.

Cogito cum ex, animi eſt: fortunæ ſit Reperire:
Inuenio tamen in multis importat vtrunque.

Excogitare, eſt conſilij: Reperire verò, fortunæ, & de rebus incorporeis tantùm: vt Ouidius, Tu non inuenta, reperta es. Inuenire autem, eſt vel cõſilio vel caſu, corporea ſiue incorporea reperire. Offendo præterea, idẽ eſt quod reperio: & Nactus ſum, pro inueni, frequenter accipitur.

Offendo. Nactus ſum.

Deſipio & Reſipiſco. Cap. 301.

Stultus Deſipui, prudens Reſipiſcere quæro.

Deſipio & Deſipiſco, idem eſt quod à meo ſenſu deſtituor: quod ferè vitium aut ex ætate, aut morbo, amore, timore, aut ſimili venit. Reſipiſco autem, id eſt, ad priorem mentis ſtatum vel ad meliorem redeo.

Prohibeo, Inhibeo. Cap. 302.

Ne facias, Prohibet: quid factum Inhibebit amicus.

Prohibeo, generale nomen eſt: rem cœptam ne facias, aut ne quid incipias, veto. Inhibeo autem, de re incœpta, ne eam perficias, tantùm dicitur.

Vtor & Fruor: Fungor & Defungor. Cap. 303.

Vtimur, vt tandem re delectante Fruamur:
Fungimur officio, noſtrum quum munus obimus.

Vtimur rebus, ad aliud per eas obtinendum: vt, Vtor ſtudio, vt ex hoc poſtea aliquid emolumenti conſequar. Fruimur verò rebus ipſis propter ſe, ad delectationem quam habemus in ipſis: vt, Fruor bonis meis, id eſt, delectationem voluptatémque percipio. Nonnunquam tamen Vtor, pro Fruor ponitur, verecundiæ cuiuſdam cauſa: vt, Vtor pane triticeo. Fungor autem, idem eſt quod officium munúſque ago: vt, Fungor magiſtratu, Fungor vita: id eſt, munere magiſtratus & vitæ. Inde Defunctus vita,

id eſt,qui finiuit officium vitæ.

Sto,Sedeo,Sido. Cap.304.

Erectum fieri Stare,vel non ire,notabit.
Sidit auis,ſedem capiens,Sedet,altior extans.

Stare,eſt non ire,in iis duntaxat quæ eunt ſine pedibus: vt Nauis ſtat,flumen, currus, &c. Stare etiam, erectum eſſe ſignificat,in iis quæ eunt: vt Homo,equus ſtat: & in inanimatis,quandiu non cadũt: vt Arbor ſtat. Sedere autem de hominibus, & aliter de auibus dicitur: nam homo propriè ſedet, & ſimia, & ſi quid eſt ſimile. Ipſum verò Sedere auium,eſt in altiori loco eſſe: vt,Paſſer ſedet in tecto. Sidere verò eſt deſcendere, & peſſum ire,ad capiendam ſedem: vt Virgilius,Sedibus optatis gemina ſuper arbore ſidunt. Vnde Deſido,Subſido,compoſita. Deſido. Subſido.

Appeto & Expeto. Cap.305.

Appetit affectu,verùm Expetit hic ratione.

Appeto cum affectu,& qualiacunque. Expeto verò, cum ratione,ſed tantùm honeſta,planéque bona.

Vendico & Vindico. Cap 306.

Vendico,dico meum eſſe: vlciſcor Vindico ſignat.

Vendico,idem eſt quod meũ eſſe dico,& approprio: vt, Ego hunc agrũ mihi vẽdicaui. Vindico verò eſt vlciſcor, ſiue illatã iniuriã punio. Inde Vindicta. Dicimus præterea Vindicare in libertatem aut in ſeruitutem, quaſi aſſerere. Vindicta.

Explodo,Supplodo. Cap.307.

Supplodo pedibus manibúſque: Explodo repello eſt.

Supplodere,eſt pedem terræ incutere, quod interdum ſolet in oratore laudari. Explodere verò,eſt manibus eiicere cum ſonitu & irriſione: éſtque contrarium eius,quod eſt Applaudo.

Dico,Dicto,Dictito. Cap.308.

Eſt oratoris bene dicere, Dico, loquorque:
Hinc Dicto, vt ſcribas: eſt Dictito, narro frequenter.

Dicere, propriè eſt oratorum, eloquenter & facundè loquentium: vt Quintilianus, Nam mihi ne dicere quidē videtur, niſi qui diſpoſitè, ornatè, copioſeque dicit. A quo Dictio: id eſt, oratio facunda. Sæpe tamen Dico, pro loquor: vnde Dictio pro vocabulo habetur. Dictare verò eſt dicere, vt id alter ſcribens excipiat, & manu ſtylóque notet. Vnde Dicta, pro omni ſermone intelligūtur. & Dictito, pro frequenter narro.

Dictio.

Adoro & Supplico. Cap. 309.

Supplico voce deos: ſed geſtu numen Adoro

Supplicare, licet à plico veniat, fit tamen ſine plicatione genuum, ſed non ſine voce: vnde homini tantùm competit. Adorare verò, eſt geſtu corporis & non voce honorem impendere, & ad muta etiam pertinet: vt, Elephas ſolem adorat.

Aſſurgo. Cap. 310.

Aſſurgit quis, quum ſurgendo impendit honorem.

Aſſurgere, eſt quouis modo ad exhibendum alteri honorem ſe erigere, ideóque ferè adiungitur datiuis: vt, Aduenienti magiſtratui omnes aſſurgimus.

Tollo. Cap. 311.

Nutrio, ſubmoueo, capio quoque, Tollere ſignat.

Tollere, eſt ſubmouere, & in altum ferre: vt, Quis neget Æneæ magni de ſtirpe Neronem? Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem. id eſt, hic Nero occidit matrem, & ille Æneas ſupra humeros ſumpſit patrem. Tollere præterea, eſt educare: vt Terentius, Quicquid peperiſſet, decreuerunt tollere: id eſt, educare. Item capere: vt, Ex vxore ſuſtuli filium: id eſt cepi, habui.

Prouoco & Laceſſo. Cap.312.

Vel bene vel malè dic ſeu Prouoco ſiue Laceſſo.

Prouoco & Laceſſo, in bonam & in malam partem ſumuntur, idem ſignificantia quod ad pugnam & concertationem tento: vt Cicero, Tuis amantiſsimis literis ſum prouocatus. & Virgilius, Efficiam, poſthac ne quenquam voce laceſſas.

Hio & Hiſco. Cap.313.

Hiſcere ſignato humanum os aperire, loquíque:
Sponte vel externa vi, dic diffindere Hiare.

Hiſcere, eſt tantùm oris, & quidem humani: accipitur etiam pro loqui, aut os aperire ad loquendum: vt, Coram te non audeo hiſcere. Hiare verò, eſt aliquid ſua ſponte, & externa aliqua vi diffindere: vt, Tellus æſtu, & ligna ariditate hiant.

Do fidem, Habeo fidem. Cap.314.

Eſt promitto, Fidem do: Habeo, ſed dicito credo.

Dare fidem, eſt aliquid ſanctè promittere. Sed Habere fidem, eſt credere: vt, Accipe, dáque fidem.

Præ ſe ferre. Cap.315.

Præ me, te vel ſe, cum duco, feróque, geróque,
Iudicium dicto aut facto, geſtúve, fatentur.

Præ ſe ferre, ducere & gerere, eſt dicto, facto aut geſtu, animi qualitatem aut opinionem de aliqua re indicare: vt Quintilianus, Fiduciam igitur præ ſe ferat orator.

Rationem habere & Ratio conſtat. Cap.316.

Cum patrio Rationem habeo, reſpectum habeo fit:
Sed Conſtat ratio, ſi quando oſtenditur æqua.

Rationem habere, cum genitiuo, eſt habere reſpectum, & in bonum: vt, Habenda eſt ſalutis ratio. Sed habere rationem, cum ablatiuo, eſt habere commercium: vt Cicero,

Rationem habet cum terra, quæ nunquam recuſat imperium:id eſt negotium ſeu commercium . Rationem *verò conſtare, eſt æquam legitimámque rationem aut oſtendere,aut apparere oſtendi poſſe.*

E republica,Ex tempore. Cap.317.

Ex,quaſi non capit r,vocalem ſæpius optat.

Ex,*dictionibus ab r incipientibus,raro iungitur: vt* E *republica dicimus:id eſt,pro republica: & non,ex republica.* Ex *tempore verò rectè dicimus,pro ex improuiſo.*

Æſtimo,Exiſtimo:Cogito,Excogito. Cap.318.

Æſtimo,Cogito fert: Exiſtimo,iudico ſignat.

Æſtimare,eſt conſiderare. Exiſtimare *verò,indicare: prius enim æſtimamus,ſecundò exiſtimamus: & ſic dicendum eſt de* Cogito *&* Excogito.

Coniurare & Conſpirare. Cap.319.

Cōiuro & Cōſpiro,malúmque bonúmque notabunt.

Coniurare *&* Conſpirare, *ferè in malum accipiuntur. Sed ſi legitima eſt ratio,etiam in bonum accipi debent.*

Cordi eſt,& In animo eſt. Cap.320.

Quod placet,Eſt cordi : Ínque animo eſt,quod conſtituit mens.

Cordi eſt,*id eſt,delectat & placet:vt* Terentius,*Si tibi hæ nuptiæ ſint cordi.* In animo *verò eſt, idem eſt quod volo & conſtituo.*

Inuertere & Interuertere. Cap.321.

Is tandem Inuertit,qui rem in contraria vertit:

Aſt Interuertit,qui fraude negare videtur.

Inuertere,*eſt quaſi in cōtrariū vertere,vt interiora veſtis aut pellis,exteriora facere.* Interuertere *verò,eſt rem aut cōmodatā,aut depoſitā, aut creditā,callidè,dolóque, ne domino reſtituatur,efficere: vt* Marcellus,*Si duo hære*

des rem apud defunctum depoſitam,dolo interuerterint.

Compertum eſt,Comperi & Exploratum eſt. Cap.322.

Inquirendo ſcio: Compertum eſt,Comperit,aiunt.

Compertum eſt, exploratum eſt, Comperi & Exploraui,idem eſt quod ſcio per inueſtigationem. Conſtitutum eſt,deliberatum eſt,decretum eſt,conſtitui, decreui: id eſt, cogitando firmatum eſt.

Fœnero & Fœneror:Mutuo & Mutuor. Cap.323.

Fœnero,ad vſuram do:Fœneror,accipio fert.

Fœnero, id eſt,do ad vſuram: Fœneror verò,accipio. Et ſic de Mutuo & Mutuor,intelligendum eſt. Nam qui pecuniam mutuat,dat mutuò: qui mutuatur pecuniam, mutuò accipit.

Gradum facere. Cap.324.

Ipſe Gradum facio,ſi quid facio quaſi ſcalas.

Gradum facere, eſt aliquem gradum,& quaſi ſcalam ad alia facere: vt ſi in arborem ſcandere velim,ligno aut alia re gradum facio.

Certum eſt. Cap.325.

Certum eſt,decretum deſignat,vel manifeſtum eſt.

Certum eſt,idem ſignificat quod manifeſtum eſt. Sæpe tamen pro deliberatum & decretum eſt,ponitur: ídque cum datiuo & infinitiuo: vt, Certum eſt mihi ire in Galliam.

Liceor,Licitor,Polliceor. Cap.326.

Cum Liceor,Licitor,pretium deferre notabit.

Liceor & eius frequẽtatiuum Licitor, ſignificãt pretiũ deferre in venditione quæ publicè fit: ſic tamen propriè, vt qui licetur,ſemel, aut ſine reſpectu aliorũ,pretiũ deferat:qui licitatur,frequẽter,& cũ reſpectu. A Liceor,com-

ponitur Polliceor, quod eſt, vltrò aliquid promitto.

Audio, & Exaudio, & Exoro. Cap. 327.

Audit & auſcultat, ſignant Exaudit & Audit.
Exorare tamen, res eſt orando tenere.

Audire & Exaudire, indifferenter auribus percipere ſignificãt, ſimul & petẽti annuere & cõcedere. Audio tamen, frequẽter pro credo, & interdũ pro fateor accipitur. Exorare præterea, eſt orando impetrare & obtinere.

De Perlego, Perſcribo, & multis compoſitis à Per. Cap. 328.

Effectum ſignant quædam formalia per Per.

Verba compoſita cum Per, effectum, & ſuæ ſignificationis conſummationem important: vt Perlego, ad finem vſque lego. Pernocto, totam noctem duco inſomnem. Perſcribo, ad finem vſque ſcribo.

De Per, Præ & Re, præpoſitionibus, & earum cum nominibus compoſitione. Cap. 329.

Per mediũ, inque malam partẽ valde quoque ſignat:
Ante, magíſque notat Præ, vel pro ſimplice dicas,
Aut iterum ſignat, vel non compoſta, Re, mutat.

Præpoſitio Per, in compoſitione multis modis accipi ſolet. Primò Per, medium ſignat, vt Vitrum perſpicuum: id eſt, per cuius medium videmus. Sæpe in malam partem, vt Periurus, Perfidus. Interdum pro valde ſumitur, idque cum poſitiuo: vt Periucundus: id eſt, valde iucundus. Præ verò, ante ſignificat: vt, I præ, ſequar. Aliquoties magis auget: vt, Diuites multi eſſe poſſunt, prædiuites pauci. Præclari, Prædulces. Nonnunquam à ſimplici differre non videtur: vt Præmorior, Præludo. Re autem ſæpe iterum ſignat: vt Reuiſo. Plerunque compoſitum non mutat, vt Recubo, Reſeco, Repugno.

Proſequor & Perſequor. Cap.330.

Perſequor, inſector: ſed Proſequor, afficio fert.

Perſequor, idem eſt quod inſector: vt, Perſequor hoſtem, Perſequor ſtudium. Proſequor verò cum ablatiuo, idem ferè quod afficio ſignat: vt, Proſequor te odio, amicitia, honore.

Partio & Partior. Cap.331.

Impendo ſignant Impartio, Partior aptè.

Impartio ſæpius quàm Partio, & Partior deponens verbum, pro impendo, vel in partem do, plerunque reperiuntur: vt Cicero, Huic rei aliquid temporis impartias. Virgilius, Et ſocios partitur in omneis.

In manu & In manibus. Cap.332.

Corporis eſt membrũ Manus, & plerunque poteſtas.

Manus, duobus modis ſumitur. Primo, pro corporis membro: vt, Eſt in manibus laudatio: id eſt, inter manus. Secundo, pro poteſtate: vnde Manumiſſio: vt Lucanus, In manibus veſtris, quantus ſit Cæſar, habetis. Manumiſſio.

Præditus & Affectus. Cap.333.

Præditus, Affectus, ſignanto bonúmque, malúmque.

Præditus & Affectus, & in bonam & in malam partem ſumũtur: vt, Præditus ſum bono, Præditus ſum malo: id eſt, habeo bonum, habeo malum: &, Affectus ſum bono, & Affectus ſum malo. Simili modo, Singularis, Notabilis, Nobilis, Inſignis, & Eximius tam in bonum, quàm in malum capi poſſunt: vt, Singularis ſtultitia, Nobilitas ſingularis. Singularis. Notabilis. Nobilis. Inſignis. Eximius.

Deſcendo in campum. Cap.334.

In campum quiſquis deſcendit, prælia quærit.

Deſcendo in campum, in prælium, in forum dicimus, non de loco ſuperiore in inferiorem, ſed de loco tuto in

locum diſcriminis, pugnandi & defendendæ litis gratia.

Amare & Diligere. Cap.335.

Diligimus leuiter, magis aſt ardenter Amamus.

Diligere, leuius eſt quàm Amare: *vt* Cicero, *Sic igitur facies, & me aut amabis, aut, quo contentus ſum, diliges.* Adamare, *eſt amatoriè amare.* Amicus *tamen res eſt honeſta.* Amica, *quando ad virum refertur, inhoneſta eſt: cuius vir* Amator *dicitur, non* Amicus.

Amicus. Amica.

Declaro. Cap.336.

Facta magis quàm dicta putes Declaro notare.

Declarare, *frequẽtius ad facta pertinet, quàm ad dicta: vt* Cicero, *Declarauit modò id temeritas* Caij *Cæſaris.* A*liquãdo etiam in dictis. Interdum pro ſignifico accipitur: vt, Nullũ verbum eſt, quod idẽ declaret: id eſt ſignificet.*

Ingredior. Cap.337.

Ingredior, quartum & quintum petit, In mediante:
Cum ſexto, incedo eſt: cum quarto, denotat intro.

Ingredior quando ad locum dicit, ſignificat intro, & accuſatiuum habet mediante præpoſitione In. *Quando verò in loco, idẽ eſt quod ambulo, incedo, & ablatiuum cum* In *poſtulat.*

Conſulo te, & Conſulo tibi. Cap.338.

Conſulo te, peto conſilium eſt: tibi Conſulo, dono.

Conſulere cum accuſatiuo, eſt petere conſilium: Sed *cum datiuo, eſt dare: vt, Conſulo te: id eſt, peto à te conſilium. Conſulo tibi: id eſt, do tibi conſilium. Quando verò nullum caſum regit, ponitur pro conſulto: vt, Fœneratores conſulunt: id eſt conſultant. À Conſulto, duo naſcuntur, Conſultor & Conſultus: Conſultor, eſt qui dat, vel qui petit conſilium: Conſultus autem, eſt homo prudens, à quo conſilium petitur.*

Conſultor. Conſultus.

Agere,Habere & Referre gratias. Cap.339.

Grates nos agimus verbis,animo ſed habemus:
Nóſque Referre decet facto dictóque iuuantes.

Agere gratias, & rarò gratiam,eſt verbo: quod quidam barbari dicunt Regratior. Habere gratias, & rarius gratiam,eſt in animo & mẽte memori. Referre verò gratiam,vel gratias, eſt facto vel reipſa beneficium reddere: & interdum dicto,quando dicendo proſumus æquè atque faciendo.

Gratulor & Grator. Cap.340.

Gratulor ipſe aliis:ſuperis Gratórque poeta.

Gratulari cum datiuo tacito aut expreſſo,eſt verbo teſtari gaudere de fœlicitate, aut fortuna alterius, aut tua: vt, Gratulor tibi ob filium natum, Gratulor mihi. Grator verò idem ſignificans,poeticũ eſt,& hiſtoricum.In poetis autem & hiſtoricis Grator pro gratias ago ſumitur, ſed tantùm diis immortalibus.

Fingere & Effingere. Cap.341.

Qui Fingit,format:qui Effingit,ad altera format.

Fingere propriè eſt more figuli aliquid componere,ſed tranſfertur ad cætera,quæ manu ingenióque hominis formantur. Effingere verò, eſt ad alterius formam fingere & repræſentare: vnde Effigies, quæ eſt figura facta ad viuam alterius ſimilitudinem. Effigies.

Obire,Defungi,& Oppetere. Cap.342.

Perficere officium cum quarto ſignat Obire:
Caſu abſente,mori eſt:Defungor & Oppeto iunge.

Obire cũ accuſatiuo caſu,ſemper eſt exequi & perficere munus,aut officium: vt,Obeo prouinciam:id eſt,exequor officium prouinciæ.Obeo mortẽ,perago,perficio mortem. Quando verò ſine caſu ponitur,ſignificat mori: vt Obiit:

id eſt, mortuus eſt. Defungor autem cum ablatiuo, & Oppeto cum accuſatiuo, vel vtrũque ſine caſu eandem ſignificationem retinet, quã Obeo: vt, Defungor officio. Oppeto mortem: id eſt, perficio. Defunctus eſt: id eſt, mortuus eſt.

Veſtigo, Perueſtigo, Inueſtigo. Cap. 343.

Quærere Veſtigo eſt, ſed cum per, & in, reperire.

Veſtigare, eſt inquirere, & inquirendo inuenire. Perueſtigare autem & Inueſtigare, ſignificant acquirere, ſeu reperire.

Ali & Nutriri. Cap. 344.

Res incorporeas Alo, verùm Nutrio corpus.

Nutrix. *Nutriuntur parui, vt creſcant, vnde Nutrices. Nutriuntur etiam adulti, vt viuant: quomodo ali etiam dicuntur. Sed in rebus incorporeis, Alo frequentius dicitur: vt, Alere facundiam: id eſt, vires augere eloquentiæ.*

Spero & Confido. Cap. 345.

Spero & Confido nonnunquam credere ſignant.

Spero & Confido ſæpiſſime pro credo ponuntur: vt Cicero, Spero iam probatam amicitiam noſtram. Interdum Sperare pro timere reperitur: vt Ouidius,

Si genus humanum & mortalia temnitis arma,
At ſperate deos. id eſt timete.

Dico ſententiam, Fero ſententiam, Dico feróque legem. Cap. 346.

Legem ferre ſuis Rex debet, dicere victis.

Dicitur à docto ſententia, iudice fertur.

Dicere leges, ad victos refertur: Ferre verò leges, ad ſuos. Dicere autem ſententiam, ad doctum conſiliarium pertinet: Ferre verò ſententiam, ad iudicem.

Circunſto & Circunſiſto. Cap. 347.

Circum cum ſiſto, inuado eſt: circundare, cum ſto.

Circunſiſto,id ē ſignificat quod inuado,aggredior quaſi terrificatione:vt Virgilius, Armati circūſiſtunt.Interdum pro circundo . Circunſto verò ſignat circundo : vt Virgilius,Circunſtant animæ dextra læuáque frequentes.

Vſurpo. Cap.348.

Vſurpo eſt vtor,crebrò pro dictito pones.

Vſurpare, eſt tum dicto tum facto vti, ſiue vſitari: vt Cicero, Quod ſemper vſurpamus in omnibus dictis & factis. Aliquoties tamen Vſurpo capitur pro dictito.

Præſto ſum,& Adſum. Cap.349.

Aduenio , auxilior , præſens ſum , Præſto, vel Adſum,eſt.

Præſto ſum & Adſum,tribus modis ſumuntur.Primo, pro præſens ſum. Secundo,pro auxilior,ſeu præſidio ſum: vt,Sancti ſpiritus adſit nobis gratia.Tertio , pro aduenio: vt Virgilius,Huc ades ò formoſe puer.

Flere , Gemere , Plorare , Plangere , Lamentari. Cap.350.

Nos lachrymis Flemus, Ploramus voce rogantes.
Pectore nos Gemimus, nos Plangimus incutientes.
Sed lamentari,querier ſit voce dolente.

Flere,eſt lachrymis,& propriū hominis . Gemere , eſt in pectore:vt,Iumenta ſub nimio pondere gemunt. Plorare,eſt voce flebili opem orare. Plāgere,eſt percuſſione pectoris.Lamentari, eſt voce querula & triſti oratione cladem teſtari ſuam. Præterea Eiulare , eſt voce ſublata fle- Eiulo.
re,& proprium mulierum.Vociferari,eſt voce effrænata Vociferor.
dolorem & indignitatem oſtendere.

Exiſto & Exto. Cap.351.

Cum motu Exiſtit,ſine motu ponitur Extat.

Exiſtere & Extare,idem ſibi volunt quod ſupereſſe,

& eminere. Sed *Exiſtere,cũ motu:Extare verò,ſine motu.*

Conciliare amorẽ,& Inire gratiam. Cap.352.

Conciliatur amor,ſed gratia ſemper initur.

Conciliamus amorem, beneuolentiam, laudem,& ſimilia, præter gratiam,dicimus. Sed *Inimus gratiam: non autem Inimus amorem:id eſt, gratiam comparamus.* Re-

Reconciliari. *conciliari tamen,& In gratiam redire,idem ſunt.Rurſus, Ineo rationem, fœdus, pacem,ſocietatem,& ſimilia grauia & momentoſa dicimus,ſed non parua.nã Ineo prandium,rectè non dicitur.*

Crapulor & Obruo,Ingurgito. Cap.353.

Crapulor eſto cibis,potúque:ſed Obruor vndis.

Obruere propriè,eſt operire aqua: vt, Obrutus aquis. Sed poteſt tranſferri ad alias res : vt, Obrutus terra & vino. Crapulari verò,tam de potu quàm de cibo dicitur: à quo Crapula. Ingurgitare autem , propriè de cibo , & aliquando de potu dicimus.

De De,in compoſitione. Cap.354.

Cum verbis dicas De ſignificare deorſum.

De in cõpoſitione,ſæpe ſignificat deorſum:vt,Deuoluo, deorſum voluo:Deſpicio,deorſum aſpicio:& per tranſlationem,contemno:vt Virgilius, Deſpectus tibi ſum.Vnde rectè dicimus,Deueni in planum,in vallem,in paupertatem:& non,Perueni in planum,in vallem.

Occupo. Cap.355.

Occupat ante alios quiſquis tenet,atque capit vi.

Occupare, eſt locum tenere, aut vi capere : vt Liuius, Nam & ipſis vocantibus vrbem hanc accepi, non occu-

Occupatio. *paui : id eſt, non vi accepi. vnde Occupatio, figura quæ vulgò, ſermonis præoccupatio dicitur.*

Peto,Poſco,Poſtulo,Flagito. Cap.356.

Dum Peto rem cernit,dic ferre bonúmve malúmve:
Sed ſi perſonam,cum ſexto dic malè tantùm.
Poſtulo rem iuſtam,meritam:ſed Poſco, requiro eſt.

Petere ad rem relatum,in bonum & in malum accipitur: vt,Seruus petit mortem domini:pater,filij. ſed quum in perſonã refertur, vtique cum ablatiuo tãtùm in malam partem ſumitur: vt,Peto te gladio,veneno. Poſtulare verò, eſt rem iuſtam petere. Poſcere, eſt rem meritam & debitam requirere. Expoſtulare,eſt rem querela apud amicos requirere. Flagitare,vehementer petere: vt Cicero, *Quanquam hæc cauſa poſtulat,non tamen flagitat.* Expoſtulo.

Labor & Labo. Cap. 357.

Lâbor,eo ſenſim:Labo,corruo ſignificabit.

Labi,eſt ſenſim & deorſum ire: vt,Labuntur flumina, tempora,angues. Tranſfertur etiam de corporeis ad incorporea: vt,Animus,ſeu mens labitur. Vnde Elabi,quod eſt periculum effugere. Labare verò,eſt ruere,& repentè cadere: vt,Domus labat ariete crebrò. Elabi.

Deligere & Eligere. Cap. 358.

Eligimus nobis,quæ nos Delegimus antè.

Deligere,eſt illud quod idoneum eſt ad rem gerendam ſecernere. Eligere verò, vel ad noſtrum emolumentum, vel ad illius, qui eligitur, dignitatem: vt,Delegit ſibi populus Romanus *imperatorem ad bella, & elegit ſibi in Principem,Octauium.*

Percontor,Interrogo,Sciſcitor. Cap. 359.

Certandi cauſa Percontor:at ipſe ſciendi
Sciſcitor,imprudens noſcendi Interrogo cauſa.

Percontari,eſt cauſa coarguendi interrogare. Sciſcitari verò, cauſa ſciendi. Interrogare autem, noſcendi gra-

tia,eſt quærere.

Expugno & Debello. Cap 360.

Expugno caſtrum,Debello,vinco ſed hoſtes.

Expugnare, eſt expugnando vincere aliquas res : vt naues, & ſimilia. Sæpe tamen pro pugnare & impugnare capitur. Debellare verò eſt bello vincere,vel bello capere,& propriè homines.

De verbis compoſitis,vt Refigo. Cap.361.

Mutat & haud mutat ſenſum compoſta Re verbis.

Re particula, in compoſitione aliquando verborum ſimpliciũ ſignificationem mutat, & cõtrarium importat: vt,Refigo,quod fixum erat educo. Retego, quod nudum erat denudo. Sic Retexo,Recludo,Reuelo.Interdum non mutat: vt,Repello, Remoueo. Aliquoties iterationem importat:vt,Repeto,Redeo.

Apparo & Præparo. Cap.362.

Apparat ad pompam, ſed Præparo ad vtilitatem.

Præparare, eſt antè apparare quæ ſibi vtilia ſunt, aut fore vtilia creduntur. Apparare verò,ad pompam & dignitatem refertur. inde Apparatus, qui etiam præparationem ſignificat.

Apparatus.

Præſidere & Præeſſe. Cap.363.

Præpoſitus,Præſum,ſed Præſideo,auxiliando.

Præeſſe, ſignificat præpoſitum eſſe rei cuipiam gerendæ vel adminiſtrandæ. Præſidere verò,eſt ad opem præſtandam præeſſe, quam propriè præſtant hominibus iniuriam patientibus. Sed impropriè ad alias res transfertur. A præſideo venit Præſes, qui poſt principem maius in prouincia imperium habet. Hinc Præſidium, quod eſt auxilium principale.

Præſes.

Præſidium.

Aſſentari, Adulari, Blandiri. Cap 364.

Blandimur tactu, geſtu, ſed cautus Adulor
Voce: Aſſentamur ſpe lucri laude vehentes.

Blandiri, propriè ad tactum pertinet, & per abuſionem, ad alios ſenſus transfertur: nonnunquam etiam ad animum: vt Quintilianus, Blandior paulisper calamitatibus meis. Interdum pro adulari ponitur, & in muta animalia vtrunque cadit, vt in canem. Adulari enim eſt inſeruire, vt quoquo modo, vel voce, vel geſtu fauorē emereamur. E'ſtque tractum ἀπὸ τοῦ δοῦλον, quod eſt ſeruus. Aſſentari verò, eſt lucri gratia quempiam effuſè & falſò laudare.

Excuſare & Cauſari. Cap 365.

Excuſo, purgo: Cauſari, eſt dicere cauſas.

Excuſare, idem eſt quod crimen obiectum refutare: interdum in excuſationem afferre id quod in cauſa fuit vt peccaremus: veluti ſi latrones, aut flumina impedimento fuerint ne ad diem adeſſe poſſem. Cauſari verò, eſt cauſam rei geſtæ afferre: vt Virgilius, Cauſando, noſtros in lōgum ducis amores. Aliquoties vnum pro altero ponitur.

Mandare, Præcipere, Iubere, Imperare, Indicere, Edicere. Cap. 366.

Mandabunt omnes, ſed Præcipit ipſe magiſter:
Imperat atque Iubet, cui ſit nonnulla poteſtas:
Edicunt reges, Indicit feſta ſacerdos.

Mandare, eſt cuiuis perſonæ committere aliquid ad exequēdum. Præcipere, eſt magiſtrorum, quorum eſt præcepta tradere. Imperare & Iubere, ſunt ſuperiorum. Iubere tamen, aliquoties eſt hortari: vt Terētius, *Iubeo Chremetem ſaluere. Edicere, eſt regum & magiſtratuum: vnde edictum. Indicere verò, propriè eſt denuntiare: vt,* Edictum.

Sacerdos indicit feſta:id eſt denuntiat.

Introcludo & Intercludo. Cap.367.

Inter & intro ſuos variè dant cludere ſenſus.

Introcludere,eſt in interioribus claudere: Intercludere verò,eſt iter impedire,& quaſi intercludere. Aduerte lector Tmeſim in Intercludere & Introcludere.

Ad votum & Ex ſententia. Cap. 368.

Ad votum affectus:Sententia ſit rationis.

Ad votum,licet videatur eſſe affectus, & Ex ſententia rationis,idem tamen ferè ſignificant: vt Quintilianus, Habéſne vxorem ex animi tui ſententia? Alibi,Et ad omne votum fluente fortuna laſciuit otium.

Iter facere,Viam facere,Munire viam,Habere iter. Cap.369.

Sternere dic Munire viam:Facere,eſt aperire:
Quò quis iter primum tandem facturus habebit.

Viam munire, eſt ſternere & reficere viam, interdum lapidibus. Facere viam,eſt vbi non erat via ac tranſitus, aperire. Iter facere,eſt ingredi iter,vel viam, quod vulgò dicitur Itinerare. Habere verò iter,ſignificat aliquem iter eſſe facturum : vt Cicero,Habebat iter ad Hiatrũ regem: pro Flacco. id eſt,erat iter facturus,ſeu debebat ire,

Proponere & Oſtendere metum,ſpem,præmium. Cap.370.

Præmia Proponit dominans,ſpem Oſtẽdit amicus.

Proponere præmium, Oſtendere ſpem, eſt hortari ad præmium aſſequendum,ſeu ad ſpem perficiendam. Proponere metum,Oſtendere metum,eſt deterrere. Sed Proponere,eſt dominantis, ſeu poteſtatem habentis. Oſtendere verò,eſt amici ſeu conſilium dantis.

Pacificatus, Pacatus & Placatus. Cap.371.

Placatus, mitis, fit tandem Pacificatus.
Poſtea Pacatus tranquilla pace quieſcet.

Placatus, eſt mitis, qui ab indignatione animi ad lenitatem rediit. Pacificatus, qui pacem fecit. Pacatus verò, qui ab armis receſsit, & in pace eſt.

Parem eſſe & Paria facere. Cap.372.

Eſſe parem ſignat, qui ſufficit: éſtque decens Par.

Parem eſſe, ſignificat ſufficere alicui operi, ſiue reſiſtendo, ſiue exequendo: vt, Non ſum par dolori: id eſt, non ſufficio ad reſiſtendum dolori. Par quoque interdum idem eſt quod decens & æquum: vt Quintilianus, Quid fieri adultero par eſt? id eſt decẽs. Facere verò paria, eſt quod alibi amiſſum eſt, vel aliunde acceptum, alibi, vel aliunde compenſare.

Sollicito. Cap.373.

Sollicito, turbo aut oſtendo ſpémve metúmve.

Sollicitare, eſt turbare & curam iniicere, vel ſpem metúmve oſtendere.

Gratum facere & Gratificari. Cap.374.

Pergratum faciam, minus eſt quàm Gratificabor.

Gratum facere, minus eſt quàm Gratificari. Nam Gratum facere, eſt obſequi & inſeruire: vt Cicero, Si hunc iuueris, gratiſsimum mihi feceris. Gratificari verò, eſt beneficium conferre: Vnde Deum gratificari hominibus dicimus, & non gratum facere.

Deduco, Reduco, Comitor. Cap 375.

Duco locum ad certum ſignant Deduco, Reduco.
Attamen inſignes Comitantur ſæpe minores.

Deducere, Reducere, ſignificant ad certum locum ducere, & alicui comitatũ præſtare, ex officio ferè parium: vt, Deduxi Catonem: cúmque vt in domum reducam, hîc expecto. Comitari verò, potius minorum eſt erga maiores.

Satiare & Saturare. Cap. 376.

Senſus non ſatiant: guſtus Saturat tamen vnus.

Satiare, ad omnes ſenſus attinet: transfertúrque ad animum. Saturare verò, ad ſolum guſtum.

Incedere, Ambulare. Cap 377.

Ire graui paſſu cum faſtu, Incedere ſignat.

Incedere, eſt ſublimiter ambulare, & cum quodam faſtu: vt Seneca, Tenero ac molli paſſu ſuſpẽdimus gradũ, nec ambulamus, ſed incedimus. vnde inceſſus. Virgilius, Et vera inceſſu patuit dea.

Inceſſus.

Aduerſor & Auerſor. Cap. 378.

Execror, Auerſor vultum vertendo notabit.

Aduerſari notam habet ſignificationem: ſed Auerſari ſine d, eſt auerſione vultus deteſtari & execrari: vt in Deuteronomio, Gentes quas Dominus auerſatur: id eſt deteſtatur, abominatur.

Leuo, Eleuo, Subleuo. Cap. 379.

Eſt Leuo ſuſtollo, mœſtum extenuóque laborem:

Eleuo, at imminuo ſit: Subleuo, præſto iuuamen.

Leuare, propriè eſt ſuſtollere: ſæpe tamen pro alleuiare, & moleſtiam laborémque extenuare ponitur. Eleuare, eſt imminuere: vt Quintilianus, Non eleuare tanti beneficij authoritatem: id eſt, non imminuere. Subleuare verò, eſt auxilium defenſionémque præſtare.

Perpendo, Impendo, Expendo, Appendo. Cap. 380.

Pondero Perpendo eſt:Impendo partior extet.

Perpendere,eſt exactè ponderare & examinare: cuius ſignificationis eſt Expendere: vt Cicero,Quæ cõtemplantes expendere oportebit. Appendere,eſt ſuſpendere. Impéndere verò, tertiæ coniugationis, eſt impartiri: & Impendêre ſecundæ,ſignificat ſuper caput iamiam caſurum pendêre:vt,Mors impendet omnibus horis.

Rapere,Eripere,Præripere. Cap.381.

Aufero res,Rapio,ſi perſonam,Violo fit.

Rapere, quum de rebus loquimur, eſt auferre: quum verò de perſonis, eſt etiam auferre & vim afferre, ſeu violare:& propriè de virginibus dicitur. Hinc Præripere,quod eſt in ſuum vſum rapere.Et Eripere cum datiuo & accuſatiuo iunctum, ferè in malam partem ſumitur: vt, Eripuiſti mihi omnes bene viuendi facultates. Quando cum ablatiuo mediante præpoſitione à vel ab, conſtruitur,plerunque in bonam partem: vt,Eripuiſti me à periculo.

Titubare,Nutare,Vacillare. Cap.382.

Infirmus Titubat,motu inconſtánſque Vacillat:
Mens Nutat,moléſque ruinam quando minatur.

Titubare,eſt pedibus non valentis inſiſtere,vt ſunt infirmi,ebrij,ſenes:ſed ad linguam & animum etiam tranſfertur. Nutare,propriè eſt alicuius malè ſolidatæ molis ruinam minantis: & dicitur etiam de animo dubitante. Vacillare verò,eſt alterno motu eſſe inconſtantem,vt naues vacuæ:& interdum ad animum tranſfertur.

Vaco. Cap.383.

Cum ſexto careo,cum terno ſit Vaco,nauo.

Vacare cum ablatiuo caſu,eſt carere: vt,Vaco ſapientia,id eſt,careo ſapientia: ſed cum datiuo caſu, eſt dare

operam ſapientiæ. Quando verò fit imperſonale, ſignificat vacuum eſſe: vt Virgilius, Si vacet annales noſtrorum audire laborum.

Aſciſco, Conſciſco, Deſciſco. Cap.384.

Aſciſco, capio: Conſciſco, concito mortem.

Deſciſco, à ductu cuiuſdam ſubtraho ſignat.

Aſciſcere, eſt aliquid remotum quaſi ſcitè vocatum capere. Conſciſcere, ferè ad mortem pertinet: vt, Mortem ſibi ipſi conſciuit: id eſt, concitauit. Deſciſcere verò, eſt ab imperio ſeu ductu alterius ſe ſubtrahere: vt, Milites deſciſcunt: id eſt, à duce ſe ſubtrahunt.

Aſſeuerare. Cap.385.

Eſt miſcere animi vim, quod dat ad atque ſeuerus.

Aſſeuerare, eſt inter ipſa argumenta probationéſque admiſcere vim animi motúmque: quod declarat Quintilianus, quum inquit, Altera ex aſſeueratione probatio eſt: ego hoc feci, tu hoc mihi dixiſti: &, ô facinus indignũ.

Negotium exhibere & facere. Cap.386.

Facta Negotia ſunt, ſæpe à Cicerone labores.

Negotium à Cicerone ſæpe pro labore ponitur: vt, Exhibere vel facere alicui negotium: & eſt aliquem moleſtia ac labore afficere: vt Cicero, Dij nec habẽt negotium, nec alteri exhibent.

Deturbare, Exturbare, Diſturbare. Cap.387.

Cum turbo Ex, De, Dis retinent ſua ſignificata.

Deturbare, eſt deorſum cum violentia deiicere: vt Virgilius, Puppi deturbat ab alta. Exturbere; eſt è loco violenter eiicere. Diſturbare verò, eſt diſſipando, diruẽdóque

diſiicere: vt Quintilianus, Diſturbatos parietes obiicimus.

Admoueo, Amoueo: Aduerſor & Auerſor. Cap. 388.
Admouet, apponit: remouet notat Amouet vſque.

Admouere cũ d, id eſt apponere: vt, Admoue manum: id eſt, appone: ſed Amouere ſine d, eſt remouere. Sic Aduertere oculos, mentem, eſt conuertere: vnde Aduerſus, id eſt, oppoſitus obiecto pectore. Et Auerſus, qui terga oſtendit: vt Cicero, Et aduerſus & auerſus, impudicus es. Aduerſus, Auerſus.

Conſterno & Conſternor. Cap. 389.
Conſterno corpus, mens Conſternatur at ipſa.

Conſternere, eſt corpus ſternendo conturbare. Conſternari verò, animo turbari. Vnde ferè ſemper Conſternatus animo dicitur.

Placeo & Miror. Cap. 390.
Qui ſibi dote Placet, ſe Miratúrque, ſuperbit.

Placere ſibi, eſt ſuperbire, & gloriari dote aliqua, bonóve quod ſibi adſit, & ſæpe cum inferiorum contẽptu. Et in eadem ſignificatione, Mirari ſe, penè capitur.

Moror & Maneo. Cap. 391.
Detinet, expectat, quiſquis Manet atque Moratur.

Morari & Manere, ſignificant expectare, ſed magis poeticè, quàm oratorié. Nam apud oratores, Morari, eſt retinere, & in mora tenere: & Manere, pro futurum eſſe ponitur: vt Cicero, Cuius fatum te ſicut Curionem manet: id eſt, tibi futurum eſt.

Contrahere æs alienum, & Conflare ac Diſſoluere. Cap. 392.
Debitor æris erit, qui Contrahit æs alienum.

Contrahere & Conflare æs alienum, ſignant debito-

rem fieri alienæ pecuniæ. Diſſoluere vero æs alienum, eſt contractum reſtituere, & pluribus ſoluere.

Migro cum compoſitis, & Decedo. Cap. 393.

Migro, domum muto, atque alias me cõfero in ædes.

Migrare, eſt domicilium mutare, & aliò ſe ad habitandum conferre. Demigrare & Commigrare, *huic ſimilia ſunt.* Remigrare *verò, eſt reuerti in priſtinum domicilium.* Tranſmigrare, *eſt in longinquioris loci domicilium migrare.* Immigrare, *in domum aliquam habitandi gratia ire.* Migrare *etiam per tranſlationem, eſt mori.* Nam *qui moriuntur, domicilium corporis relinquentes, aliò ad habitandum ſe transferunt.* Decedere *autem, eſt à loco mandato cuſtodiæ ſuæ recedere: vt,* Præſides *& conſules decedunt à prouincia. & per trãſlationem ponitur pro mori: & ſemper intelligitur vita: in* Excedo *verò ſemper additur: vt,* Exceſſit *è vita: id eſt, mortuus eſt.*

Demigro.
Commigro.
Remigro.
Trãſmigro.
Immigro.

Precor cum datiuo. Cap. 394.

Imprecor eſto Precor, ſi caſus tertius adſit.

Precari cum accuſatiuo, notum eſt: ſed cum datiuo eſt imprecari: id eſt, optare alicui, deos precando, bonam fortunam aut malam: vt Quintilianus, *Permittamus vela ventis, & oram ſoluentibus bene precemur.*

Habui orationem & Feci ſermonem. Cap. 395.

Feci ſermones, Habita eſt oratio, dices.

Habui orationem & non Feci *orationem.* Feci *ſermonem potius, quàm habui, venuſtè dices.*

Habeo polliceri. Cap. 396.

Pro volo, comperies Habeo plerunque repoſtum.

Habeo *polliceri, ſeu ad pollicendum.* Habeo *conuenire, ſeu ad cõueniẽdũ, & ſic de multis: idẽ eſt quod pollicen-*

dum, conueniendum eſt mihi. Et *aliquoties illud* Habeo, *ponitur pro* volo: *vt in verbis* Cæſaris, *Quid aliud habeo quàm deos immortales precari? id eſt, Quid aliud volo?*

Mereor, & eius compoſita. Cap. 397.

Eſt Meritus de te, quicquam qui contulit in te.

Mereor de te, id eſt, aliquid confero in te: inde Bene *meritus, & malè meritus.* Emereor *idem penè quod mereor ſignificat.* Demereor *verò, id eſt, bene de aliquo mereor: ſed ſemper cum accuſatiuo.* Emereor. Demereor.

• Refero & Fero. Cap. 398.

Ad doctos Refero dicas, pro conſulo doctos.

Referre, *& pro eodem* ferre, *cum accuſatiuo mediante præpoſitione* ad, *eſt conſulere: vt,* Refero ad ſenatum: *id eſt, cõſulo ſenatum: vnde fit* Senatuſconſultum. Referre *verò acceptum: id eſt, fateri accepiſſe tam bonum quàm malum: vt,* Refero tibi acceptum: *id eſt, fateor me abs te accepiſſe.* Referre *autem expenſum, eſt rationem de expenſis exhibere.* Senatuſconſultum.

Exhorreo, Abhorreo. Cap. 399.

Expauet, Exhorret: ſed Abhorret, qui eſt alienus.

Exhorrere *ſemper cum accuſatiuo, eſt expaueſcere.* Abhorrere *verò cum ablatiuo mediante ab, vel abs, ſignificat alienum eſſe.*

Bene agi cum aliquo. Cap. 400.

Eſt mihi conditio bona, quando Agitur bene mecum.

Bene agitur mecũ, *id eſt, in bona cõditione ſum.* Item, Præclarè, optimè mecum agitur. *Sed in malam partem,* Malè mecum agitur, *etiam dicitur. quod interdum actiuè dici poteſt: vt* Bene, *vel* malè tecum egerunt ciues. Actum *eſt verò, ſemper in malam partem ſumitur: vt,* Actum eſt Actum eſt.

de republica:id eſt,reſpublica perdita eſt.

Salio & Salto. Cap.401.

Saltant qui Saliunt,homines Saltare videntur.

Salire, eſt ſaltum facere, & interdum ſaltare: vnde
Saltus. *Saltus, qui tamen pro ſaltatione non ponitur. Saltare verò, eſt tripudiare, & propriè hominibus competit: inde*
Saltatio. *Saltatio:id eſt tripudiatio.*

Abdicare & Exhæredare. Cap. 402.

Exhæredo meos moriens:pater Abdico viuens.

Abdicare, eſt expellere filium à bonis viuente patre. Exhæredare verò,poſt mortem.Sed Abdicare grauius eſt: quod etiam in ſe exhæredationem continet.

Ad me ſpectat, & Ad mortem ſpectat. Cap. 403.

Pertinet aut tendit,Spectat,ſpectando notabit.

Spectare ſignificat pertinere: vt,Ad me ſpectat:id eſt, pertinet ad me.Aliquoties eſt reſpiciendo tendere:vt,Spectat ad mortem,ad exitium,ad interitum.

Conuenit nobis, Conuenit inter nos. Cap. 404.

Conuenit inter nos,ſine quo diſcrimine conſtat.

Vtile,ſiue decens,nobis quod Conuenit,extat.

Conuenit hoc nobis:id eſt, Conueniens eſt,decens,aut vtile. Conuenit hoc inter nos:id eſt conſtat, & controuerſia caret.

Obuius,& Obuio tibi. Cap.405.

Obuius hîc tibi ſum,diuerſis dicito formis.

Obuius tibi ſum, multis modis dici poteſt: vt, Obuio tibi,obuius tibi fio,obuium me tibi fero,obuiam veni,obuiam proceſſi,obuiam me tuli.

Quot modis vna eademque res dicatur, & quē finem ſibi quis proponat. Cap.406.

Nos finem variis verbis finimus eundem.

Finem, ſeu ſummum bonum ſibi proponere, variè dici poteſt: vt, Epicurus omnia voluptate terminat: Zeno cuncta finit honeſtate: Hieronymus vniuerſa determinat finitque indolentia corporis: Carneades ſingula metitur naturæ bonis: Ariſtippus nihil non ad commodum ſuum refert: Pyrrho nihil reliquit, quod non reuocet ad ſcientiam: Ille ſummum bonum in gula cōſtituit: Ego bonum ipſum pono in dilectione Dei.

Coniecto & Coniecturo. Cap.407.

Coniecturo, modis variis efferre valebis.

Coniecturo, multis modis etiam efferri poteſt: vt, Coniecto, Coniecturo, Coniecturam facio, Coniectura colligo, Coniectura ducor.

Non me fallit, Non me præterit. Cap.408.

Hoc ſcio, vel Non me fallit, nec Præterit, inquam.

Non me fallit, variè dicitur: dicimus enim, Non ignoro, hoc ſcio, non me præterit, non me fugit, non me latet, certò ſcio, compertum habeo, cognoſco, & ſimilia.

Capere ſpem. Cap.409.

Spem capio dicas variè, ſeu Concipio ſpem.

Capio ſpem, multifariam effertur: vt, Concipio ſpem, ducor in ſpem, vocor in ſpem, ingredior in ſpem: quæ non tantum ſpei firmitatem ſignificant, quãtum Colloco ſpem, repono ſpem.

In mentem venire. Cap.410.

Te multis memorem poteris depromere verbis.

In mentem venit, multa varietate dici poteſt. Occurrit

mihi, Succurrit mihi, Subit mihi.

Videas, Licet videre. Cap. 411.

Atque Videre licet, Videas, Eſt cernere, dices.

Ad hæc in eodem ſenſu dices, Videre licet, Videas: Cernere licet, cernere eſt, videre eſt.

Habes quæ ſentiam. Cap. 412.

Noſtra modis variis oratio clauditur aptè.

Varia eſt perorandi atque concludendi operis ratio: vt, Habes quæ ſentiam. Hæc habui quæ dicerem. Hæc ſunt quæ dicenda putaui. Nihil amplius habeo quod in vniuerſum præcipiam. Dixi.

More maiorum comparatum eſt. Cap. 413.

Mandatum variè, lex & præcepta dabuntur.

Ad authoritatem ſeu mandatum pertinentia, variis modis conſequi poſſumus: vt, More maiorum comparatum eſt. Legibus ita conſtitutum eſt. Ita natura præſcriptum: Hoc *nobis ipſa natura præſcribit.* Nobis *natura datum eſt.*

Inter agendum, & Inter actionem. Cap. 414.

Nomina conueniunt atque ipſa gerundia ſæpe.

Quod per nomen dicitur, hoc ipſum per gerundia dici poteſt, hoc modo: Inter actionem, inter agendum, in agendo: Inter cœnandum, in cœnando, inter cœnam, in cœna, ſuper cœnam: Inter conſultandum, in conſultando, inter conſilia.

Et geminatum. Cap. 415.

Caſus, ſiue modos ſimiles petit Et geminatum.

Et geminatũ, ſimiles caſus, ſimiléſque modos poſtulat: vt, Et appellant te homines ſapientem, & exiſtimant. Te & malum eſſe dicunt, & ſentiunt. Studio literæ & pa-

rantur & conſummantur.

Impono tibi. Cap. 416.

Impono tantùm cum terno fallere ſignat.

Imponere cum datiuo & accuſatiuo, notum eſt quid ſignificet. Imponere verò cum ſolo datiuo, eſt decipere: inde Impoſtor: id eſt deceptor.

LIBER SEXTVS.

Alumnus, Armiger. Cap. 417.

Armiger arma gerens eſt: enutritus, Alumnus.

Armiger eſt qui in prælio gerit arma ſui domini, vt ſcutum, arcum, lanceam, & huiuſmodi. Alumnus autem eſt, qui ab aliquo alitus ſeu educatus eſt.

Citare. Cap. 418.

Qui Citat, ille vocat, ceu quis pro teſte citatur.

Citare, eſt in teſtimonium vocare, & propriè ad teſtes pertinet.

Sumo. Cap. 419.

Sponte Capit, vel non: ſed tantùm Sumere ſpōte eſt.

Capere, eſt ſponte vel non ſponte accipere, & habet reciprocum quendā vſum: vt, Cepi voluptatem, Voluptas cepit me. Sumo autem, eſt tātùm ſponte accipere, & multum, ac penè nimium ſibi tribuere. Capio.

Contendo & Intendo. Cap. 420.

Contendo, Intendo, ſenſu ſumuntur eodem.

Contendere & Intendere, eſt vel neruum, aut chordam, aut vocem, aut ſimile quid extendere. A contendo

Contentio. Intentio. *uenit contentio. Ab intendo,intentio: quæ idem eſt quod attentio,& non(vt quidam volunt)voluntas.*

Curſus. Cap.422.

Sæpe Volo,curro notat:eſto profectio,Curſus.

Volo. Volito. . *Volare,& frequentius Volitare, aliquoties pro currere inuenies:vt* Cicero,*Per forum volitant: id eſt currunt. Curſus tamen non eſt propriè volatus, ſed pro omni celeri profectione in aere,in aqua,vel terris ponitur:& figuratè pro volatu dicitur:vt Virgilius, -curſúmque per auras* Dirigite *in lucum.*

Carpere. Cap. 423.

Extremis digitis euellere,Carpere ſignat.

Carpere,eſt primis digitis per vim euellere, & ſenſim extrahere:vt,Carpere lanam,Carpere roſas.

Accipere. Cap.424.

Accipere interdum conuiuam dic retinere.

Accipere,eſt aliquem conuiuam in domũ, honoris & amicitiæ gratia capere:vt, Acceptus ſum abs te lautè: id eſt,acceptus ſum in conuiuium,vel tractatus.

Graue. Cap.425.

Ad pondus propriè Grauis:hinc ad multa refertur.

Graue,propriè ad pondus refertur: vt, Graue ſaxum, Grauia arma.Sæpe tamen ad alia transfertur, tam in bonum, quàm in malũ. In malum quidem, vt ad moleſtias animi & corporis, vt Grauis ſenectus, grauis dolor, grauis iactura, grauis iniuria. In bonum verò, & in laudẽ, quum homines præſtantes, & virtute præditos, Graues vocamus: qui neque pretio, neque muneribus ab æquo & iuſto ſubmouentur.

Inficiator. Cap. 426.

Inficiator erit qui verbis vera negabit.

Inficiator, eſt qui negat ſe vel debere quod actor petit, vel commiſiſſe quod accuſator obiicit: vnde Status cōiecturalis, dicitur Inficialis, in quo ſemper reus inficiatur, vel it inficias. Status inficialis.

Inciſum. Cap. 427.

Partes membrorum pleriſque Inciſa vocantur.

Inciſum, eſt ſenſus non expleto numero concluſus, pleriſque pars membri: vt, Domus tibi deerat? at habebas: pecunia ſuperabat? at egebas. Fiūt autem ex ſingulis verbis inciſa: vnde Inciſim, quaſi per inciſa membra. Inciſim.

Candere. Cap. 428.

Igneus, & propriè qui Candet, candidus extat.

Candere, propriè ſignificat ignitum eſſe, & candidum. Excandeſcere autem, eſt vehementer iraſci, ſed per metaphoram. Nam vna vox interdum plura ſignificat. Excādeſcere.

Lætus. Cap. 429. a

Dicitur aſpectu Lætum, quod gaudia promit.

Lætum, propriè eſt quod aſpectu gaudium promit. Nam Gaudere, eſt intrinſecus: Lætari verò, extrinſecus: vnde conuenit animalibus lætitiam habētibus. Sed transfertur ad ſimilia, ad ſegetes, ad vina, vites: vt Virgilius, Quid faciat lætas ſegetes. Gaudere. Lætari.

Accuſo & Incuſo. Cap. 429. b

Accuſamus, apud quendam peccaſſe fatentes:
Alterius mores Incuſamúſque notantes.

Accuſare, eſt apud indices aut alios ſignificare ac oſtendere aliquem peccaſſe. Incuſare verò, eſt alterius mores reprehendere, & plerunque cum querela, ob iniuriam ab eo illatam. Vnde conſtat, Accuſare non eſſe maioris de minore: Incuſare verò, minoris de maiore: vt quibuſdam placet.

Barba. Cap. 430.

Barba homini,tum quadrupedi,Barbǽque dabûtur.

Barba & in ſingulari & in plurali numero,tam homini,quàm quadrupedi competit.

Nuncius & Nuncium. Cap. 431.

Nuncius eſt,quædam qui Nuncia nunciat vni.

Nuncius,eſt qui nunciat, & res ipſa quæ nunciatur, quæ etiam in neutro genere Nuncium *dicitur.*

Arceo & Abigo. Cap. 432.

Iam admotos Abigo, venientes Arceo ſolùm.

Arcere,eſt vetare ne accedant ij qui veniunt.Abigere verò, eſt iam admotos à loco fugare: vt, Abige muſcas à facie mea.Abige canes à popina.

Innocuus & Innoxius. Cap 433.

Non nocet Innocuus·ſic dic Innoxius eſſe.

Innoxius, Innocuus & Innocens, idem ſignificant, cum videlicet qui non nocet nec nocuit, & ita extra culpam eſt.

Inſtar. Cap. 434.

Ad menſuram,Inſtar,non quærit præpoſituram.

Inſtar,ad menſuram,vel ad æquiparationem ponitur, & ſine præpoſitione: vt Virgilius, Inſtar montis equum. Et non ad inſtar.

Paſſim,Vſquam. Cap. 435.

Paſſim,per paſſus,vel ſparſim ſignificabit.

Paſſim,id eſt,per paſſus,quaſi per ſingulos paſſus: vt, Grex paſſim paſcit:id eſt, ſparſim. Vbique præterea, eſt in omni loco.Vſquàm verò,in loco ſimul & ad locum innuit:vt Terentius,Occidit,neque virgo eſt vſquam.

Vbique.
Vſquam.

Aduerbia in im. Cap. 436.

Quæ clauduntur in im,dicas Aduerbia poni.

Quædam pro numeri pluralis nomine,cum per:
Aut pro finitis vel in e,vel in er,poſitiuis.

Aduerbia in im terminata,aut pro ſuis nominibus pluralis numeri,& præpoſitione Per,aut pro ablatiuo ſingulari ponũtur:vt,Generatim,per genera,vel in genere:Nominatim, per ſingula nomina: Membratim, per membra: aut pro poſitiuis in e & in er,minus vſitatis ſumuntur: vt Priuatim:id eſt priuatè. Properatim: id eſt properanter:Affatim,pro abundè.

Generatim. Nominatim. Membratim. Priuatim. Properatim. Affatim.

Tandem,Demum,Denique. Cap.437.

Vim dic vrgendi Tandem retinere rogando:
Si non fortè rogat,Demum vel Denique ſignat.

Tandem, vrgendi & accelerandi vim affert, potiſſimum per interrogationem: vt Cicero,Quouſque tandem abutere Catilina? Sine interrogatione,pro demum & denique ponitur: ſed Denique,tunc præcipuum habet locũ, quando multis enumeratis volumus vltimum eſſe: vt Virgilius,O crudelis Alexi,nihil mea carmina curas, Nil noſtri miſerere:mori me denique cogis.

Stella & Sydus. Cap.438.

Stellas immixtas,compoſtáque Sydera dicas.

Stella non dicitur de ſigno,nec huic immiſcetur: vt, Stellam hybernam non dicimus,nec arietem ſtellam : ſed ſydus hybernum.nam ſydus de ſtella dicitur: vt,Aries ſydus,Taurus ſydus.

Aries. Taurus.

Reſciſcere. Cap.439.

Rem,poſtquam geſta eſt,Reſciſcere,ſcire notabit.

Reſciſcere, eſt rem,poſtquam geſta eſt,ſcire,quam neſciebas,quum gereretur:vt Terentius,Hem vbi reſciuit omnem rem.

Deprecor. Cap.440.

Deprecor eſt propriè dicto factóve recuſo.

Deprecari,eſt dicto factóve recuſare: vel idem quod precari & imprecari: vt Ouidius, Sæpe precor mortem, mortem quoque deprecor idem.

Situs. Cap.441.

Sordes longa,Situs propriè, vel Pædor habetur.

Situs,eſt ſordes & illuuies quæ naſcitur in locis humidis,& diu nõ repurgatis,lanugo videlicet & mucor fœtens,& qui etiam Pædor dici poteſt.Situs etiam eſt loci qualitas: vnde adiectiuum, Situs,ſita,ſitum: vt,Caſtrum ſitum,& non ſituatum dicimus.

Docilis. Cap.442.

Eſt Docilis propriè,facili qui mente docetur.

Docilis,& rarò Docibilis,eſt qui facilè docetur: Docilis autem potius docilimus facit, quàm dociliſſimus : vt, Gracilis,facilis:Gracilimus,facilimus.

Numen. Cap.443.

Eſto Dei tantùm numen diuina poteſtas.

Numen,eſt Dei tantùm poteſtas & imperium:non autem nutus Dei.

Nectus & Necatus. Cap.444.

Nectus dat ſpeciem mortis,genus ipſe Necatus.

Necàtus,generalem mortis ſignificationem retinet:ideo eſt,qui non ſolùm ferro,ſed vtcunque peremptus eſt. Nectus verò ſpecialem:ideo nunquam ſine certo genere mortis dicitur: vt,Nectus ſiti Tantalus:nec tã mortuus,quàm propè mortuus eſt.

Næ. Cap.445.

Næ diphthongatum pro certe ponito ſemper.

Næ cum æ diphthongo,affirmantis aduerbium ſignifi-

cat certè : vt Terentius, Faciunt næ intelligendo, vt nihil intelligant. Quaſi dicat, profectò faciunt.

Valeo, Vále, Aue, Salue. Cap. 446.

Interdum Valeo, dic pro diſcedo locari.

Valeo, interdum pro diſcedo, & non pro pereo ponitur: vt Terentius, Valeant qui inter nos diſsidium quærunt: id eſt diſcedant. Vale enim ſalutatio eſt recedentis: Salue & Aue venientis. Salue tamen aliquãdo abeuntis: nam Salutare eſt aduenientis & abeuntis. Valeo præterea nonnunquam languorem ſignificat. Vnde Valetudo, id eſt languor, ſeu infirmitas: vt Cicero, Valetudinem tuam cura diligenter: id eſt languorem. Alibi pro ſanitate ponitur: Sed nunc valetudini tribuamus aliquid. Ideóque adiectiuum ſeu bonum ſeu malum ſolet illi adiungi: vt, Bona vel mala valetudo. Valetudo.

Vas & Obſes. Cap. 447.

Alterius ſponſor Vas ſit de re capitali.

Imperio alterius, quo ſit ius, traditur Obſes.

Hic Vas vadis, is eſt qui ſponſor eſt alterius in capitis periculo, ſiue idem ſupplicij ſubiturus, ſiue pecuniam ſoluturus: vnde Vadimonium, id eſt, ſponſio ad certum diem ſiſtendi ſe in iudicio. Obſes, obſidis, eſt qui traditur imperio alterius, ea conditione, vt ſi dator obſidis à fide recedat, recipienti ſit ius in corpus & vitam obſidis: quod propriè inter potentes commercium eſt, qui non habent ſuperiores. Vadimoniũ.

Decurio. Cap. 448.

Municipalis eris, Romane Decurio duplex.

Decurio duplex eſt, Romanus & municipalis. Romanus, qui Romæ eſt habitus, decurio longè maior erat, quàm municipalis, quia municipalis cõſiliis in municipiis

admittebatur, vt Senator Romæ: erátque maior Equitibus, ſed minor Equite Romano, quoniam decurio Romanus decem equitibus præfuerat. Eques quoque Romanus maior erat Centurione: id eſt, eo qui centum militibus, ſed peditibus præfuerat. Centurio verò, maior eſt Decarcho: id eſt, decem hominum principe. Eques præterea eſt, qui de ordine equeſtri, vel qui equo militat. Pedes verò, qui pedeſter militat. Miles autem, quicunque militat, ſed potius in pugna pedeſtri.

Eques Romanus. Centurio. Decarchus. Pedes. Miles.

Exemplum & Exemplar. Cap. 449.

Contentum Exemplũ eſt, Exemplar continet ipſum.

Exemplum tanquam contentum: Exemplar tanquam cõtinens habetur. Exemplum enim eſt ipſa res quam imitamur, aut deuitamus: Exemplar verò, ex quo ſimilẽ facimus. Exemplum incorporale eſt: Exemplar plerunque corporale. Et aliquoties vnũ pro altero ponitur. Item Exemplum pro forma, & pro colore rhetorico dicitur.

Perſona. Cap. 450.

Nos Perſona refert, quales natura creauit.

Perſona, eſt in homine quædã qualitas, qua alij ab aliis differimus, tum in animo, tũ in corpore, tũ in extra poſitis. In animo: vt iracundus, auarus. In corpore: vt iuuenis, ſenex, pulcher, deformis. In extrapoſitis: vt Diues, pauper.

Noxæ dedere. Cap. 451.

Tradere ſupplicio ſeruos, eſt dedere Noxæ.

Noxæ dedere, eſt ſeruum tradere ad ſupplicium, quod pro noxa meruit. Noxa autẽ non ſolùm culpam, ſed damnum ac nocumẽtum ſignificat. Vnde adiectiuum Noxius, noxia, noxium.

Noxa. Noxius.

Teſtamentum. Cap. 452.

Verius à teſtor ſunt Teſtamenta profecta.

Teſtamentum, verius à teſtor dicitur, quàm à teſtatione mentis: ſicut Oratio, *ab oro, & non à ratione mentis.* Oratio.

Syncerum. Cap. 453.

A ſyn, quod ſimul eſt, Syncerum dicitur apté.

Syncerum cõponitur à ſyn, quod eſt cum, & cera, quaſi integrum. Non tamen *vſquequaque quadrat etymologia: verum ſæpe mendax eſt.*

Mulier. Cap. 454.

Fœmina vel virgo, Mulier quandoque vocatur.

Mulier propriè eſt fœmina corrupta: ſed impropriè aliquoties virgo, & incorrupta intelligitur.

Munus. Cap. 455.

Munus, onus, pariter donum notat, officiúmque.

Munus tria ſignificat: Primò donum: Secundò onus: Tertiò officium. Vnde Municeps: id eſt, qui munera ciuilia capit, vel qui particeps eſt muneris. Municeps.

Peculium. Cap. 456.

Noſtra Peculia ſunt noſtro iam parta labore.

Peculium propriè, eſt quicquid noſtro labore acquiſitum eſt, ſeu quicquid propriè alicuius eſt: vnde Peculiaris, pro re ad peculium pertinente, ſiue pro proprio, ſiue ſpeciali ſæpe ponitur. Peculiaris.

Fundus, Prædia, Poſſeſſio. Cap. 457.

Ruſtica Fundus érit poſſeſſio: Prædia verò
Ruſtica & vrbana: his Poſſeſſio plura notabit.

Fundus eſt poſſeſſio ruſtica: vt Prata, vineæ. Prædium verò eſt poſſeſſio & ruſtica & vrbana: vnde patet fundum eſſe prædij ſpeciem. Poſſeſſio autem plura his ſignificat: nempe tabernam & hoſpitia. Fundum inſuper neutri generis, eſt ima pars rei propriè aliquid liquoris in-

tra ſe continens: vt Dolium, nauis, lacus, & ſimilia. Vnde Fundare, quod eſt validis fundamentis fulcire: Fundamenta verò iacere, eſt qualiacunque fundamenta facere.

Noualis. Cap. 458.

Intermiſſus ager, noua & arua, Noualia fient.

Noualis aut Nouale in neutro genere, eſt ager qui intermittitur, & ceſſat interpoſitis annis: vel aruum nouũ, quod iam primùm proſciſſum eſt, eruta atque eradicata quæ inerat, ſylua.

Liber & Volumen. Cap. 459.

Codice pro magno Liber atque Volumen habentur.

Liber & Volumen, interdum accipiuntur pro quouis magno codice: aliquoties pro ſeparatis libris. Volumen tamen poteſt minus eſſe libris: nempe quod volui poteſt.

Probrum & Opprobrium. Cap. 460.

Dedecus eſt Probrũ: Opprobrium eſt iniuria verbi.

Probrum, eſt dedecus: id eſt, ignominia atque infamia. Opprobrium verò, eſt exprobratio atque conuitium, idque facto & verbo factum. A probro fit Exprobrare, quod eſt culpam improperare.

Exprobrare.

Adulterium, Stuprum, Incæſtus. Cap. 461.

Fiet adulterium cum nupta: in virgine Stuprum,
Et vidua, & puero: Incæſtus cum ſanguine fiet.

Adulterium, eſt coitus lege vetitus, qui cum nupta fit. Stuprum verò cum virgine, vidua & puero fit. Incæſtus cum ſanguine coniunctis, aut cum ſanctimonialibus.

Inſtratum, Stragula. Cap 462.

Sternit equum, Inſtratum: ſed veſtis Stragula lectos.

Inſtratum, eſt operimentũ equorũ. Stragula verò veſtis eſt, quæ operit præcipuè lectos: id eſt, opertoriũ lectorum.

Verberare,Pulſare,Fuſtigare,Flagellare. Cap.463.

Ille manu Pulſat,ſed verbere Verberat alter.

Pulſare, eſt manu, pede, lapide,aut quauis re frequenter percutere.Verberare verò,eſt verbere cædere. Verber autem,eſt inſtrumentum longum & exile, qualis eſt virga,baculus. Flagellare,eſt flagello cædere:Fuſtigare,fuſte. Verber.

Pellex. Cap.464.

Pellex alterius corpus cum coniuge miſcet.

Pellex,eſt quæ corpus ſuum miſcet cum eo qui vxorem habet.Concubina verò Græcè παλλακή dicitur. Concubina.

Cauillatio,Calumnia. Cap.465.

Ille Cauillatur,cauſas qui dicit iniquas.

Cauillari, eſt falſum crimen intendere, ſeu per rationem ſubdolam cauſa vincẽdi, mendaciis alios in litibus vexare:vnde Cauillatio:id eſt,ſubdola ratio, & interdũ facetia. Calumniari autem,idem eſt quod cauillari: vnde Calumnia,fraus vel dolus. Cauillor. Calumnior.

Præuaricator,Tergiuerſator. Cap.466.

Præſcripto officii diſcedit Præuaricator.

Præuaricari, eſt à præſcripto officij ſui deflectere & aberrare,vel perfidia,vel malitia,vel imprudentia: quod qui facit,Præuaricator dicitur: non ſolùm actor,ſed etiam reus. Tergiuerſari, eſt verſis tergis adhuc pugnare,nec ſe victum rationibus velle agnoſcere: Vnde Tergiuerſator, qui tametſi reuera ſit victus,ſe victum fateri non vult. Præuaricator. Tergiuerſator.

Portari,Ferri. Cap.467.

Corpore,vel brutis Porto:Fero corpore tantùm.

Portamus noſtro corpore,& iumentis noſtris.Ferimus verò tãtùm corpore. aliquoties tamen alterum pro alte-

Agere. *ro ponitur.Agere præterea multis modis dicitur:vt,Agere cauſas:id eſt dicere. Agere animam:id eſt expirare.*

Conuitium. Cap.468.

Inuidioſa nimis Conuitia ſunt maledicta.

Cõuitiũ,eſt maledictũ cõtumelioſum,& nimis acerbũ.

Verſicolor. Cap.469.

Verſicolor mutat ſeſe vertendo colores.

Verſicolor,omnis generis,tertiæ declinationis: vel Verſicolorius,verſicoloria,verſicolorium, eſt qui ſe vertẽdo, colorem mutat:vt collum columbi,pauonis.

Penes te,Apud te. Cap.470.

Deſignabit Apud perſonam:iunge locúmque.

Sed Penes,imperium,in laudem vel dedecus,infert.

Apud,perſonam & locum ſignificat: vt,Apud Platonem,apud forum. Penes verò,perſonam, dominium & poteſtatem, tam in laudem, quàm in vituperium innuit: vt, Pecunia eſt penes me: id eſt,in poteſtate mea. Fides penes authores ſit.

Maiores,Poſteri,Minores,Patres. Cap.471.

Poſteri erunt poſt nos:Maiores antè fuerunt.

Patres dicuntur qui nos genuere parentes.

Poſteri, ſiue Poſteriores dicuntur qui pòſt fuerunt, & erunt: vt,Poſteris prodeſſe debemus. Maiores verò,qui Patres. *ante nos fuerunt,præter memoriam noſtram. Patres autem ſemper de proxima ætate intelliguntur.*

Penus,Victus. Cap.472.

Et Penus & Victus,tantùm id quo veſcimur,extant.

Victus & Penus, ea tantùm quibus viuimus & veſcimur,continent.

Pignus & Hypotheca. Cap.473.

Pignus idem exponit quod vulgò dicitur Arrha.

Pignus Latinè, & Hypotheca Græcè, idem ſibi volunt, id videlicet quod creditori datur in ſecuritatem, & inter paratos ſecum decertare, mutuò offertur, & apud ſequeſtrum deponitur, quod vulgò Arrha dicitur. Inde dicimus Pignero, pigneras, & Oppignero, oppigneras, quod eſt, Pignero. *do aliquid arrhaboni: & Repignero: id eſt, recipio pignus* Oppignero. *ſoluto debito. Filios item multoties appellamus Pignora,* Repignero. *ſed per abuſionem: quia pignus quoddam inter coniuges ſunt tum vinculi (ne aliter fortè diuortium fieret) tum charitatis: cuius rei argumentum eſt, quòd legimus ſæpe pignora filiorum.*

Ferruminatio & Plumbatura. Cap. 474.

Quanuis materiam, & propriè Ferrumen eandem
Conſolidat: plumbum ſed Plumbatura refudit.

Ferruminare, eſt conſolidare & conglutinare per Ferrumino. *quamuis materiam, & præcipuè per eandem: vnde Ferruminatio, & Ferrumen. Plumbatura verò, quæ per ſolum plumbum: vnde Plumbare, eſt plumbo con-* Plumbo. *ſolidare.*

Seruus veterator, & Nouitius. Cap. 475.

Seruiuit longo Veterator tempore ſeruus,
At ſeruum vendit iam primùm mango Nouenum.

Seruus veterator, eſt qui diu fuit ſeruus, & iam vetus eſt in ſeruitute. Nouitius verò ſeruus, eſt nouiter ſeruus, nouenus & rudis.

In annos, & Quotannis. Cap. 476.

Dicito Quotidie, & Per menſes, atque Quotannis.

Quotannis, id eſt ſingulis annis, dicimus, & non quot menſibus, aut quot diebus: ſed vſitatius Singulis menſibus, vel ſingulos menſes. Quotidie, vel ſingulis diebus, Quotidie.

*vel per ſingulos dies,*Latinè *dicimus.*

Turba & Rixa. Cap. 477.

Eſt cœtus primùm, ſed fit turbatio, Turba.
Multorum Rixa eſt rixatio, ſiue duorum.

Turba, primùm ſignificat turbationem : vnde Turbo, *turbas,* Perturbo, Deturbo, *Diſturbo,* Conturbo, *quæ tam ad multitudinem, quàm ad vnum referuntur.* Secundò, *Turba pro multitudine hominum accipitur.* Rixa *præterea, duorum propriè eſt corrixatio.* Aliquoties *tamen ad plures refertur.*

Perturbo. Deturbo. Diſturbo. Conturbo.

Exautorare. Cap. 478.

Exautoratus miles dimiſſus habetur.

Exautorare*, eſt ducem ab imperio ſuo dimittere, vel miſſum facere militem: illúmque miſsione donare militiæ: vnde* Exautoratus *miles, dimiſſus dicitur.*

Depectus. Cap. 479.

Depectum dicas pro pacto ſimplice poni.

Depe*ctus compoſitum, id eſt, honeſtè pactus: itaque ſæpius pro ſimplici ponitur: & venit à* Paciſcor*, quod tam in bonum, quàm in malum ſumitur.* Aliquoties Depe*ctus, id eſt, turpiter pactus.*

Paciſcor.

Gemma, Lapilli. Cap. 480.

Gemma, lapis magnus pretioſus: Gemmula, paruus.

Gemm*a, eſt omnis lapis pretioſus, tam lucidus, quàm non lucidus, ſi magnus fuerit: nam ſi paruus,* Gemmula, *ſiue* Lapillus *dicitur.*

Gemmula.

FINIS.

DE RECIPROCATIONE SVI *&* *Suus*.

Rnatè redeunt in ſeipſa Reciproca ſemper.

O *Reciprocum dicitur, quod eò redit, vnde prodiit: vt ſpiritus reciprocatur, quum recipitur.* Haud *aliter pronomina reciproca ad id vnde prodierunt, reuocantur. Sunt autem duo pronomina reciproca. Alterum primitiuum,* Sui, *ſibi, ſe, à ſe, generis omnis, vtriuſque numeri.* Alterum *poſſeſſiuum,* Suus, *ſua, ſuum.* Reciproco *pronomine nunquam vtimur, niſi aliquod præceſſerit nomen in eadem oratione, aut altera vnita per copulam, ad quod referatur.* Nam, Ego *dixi ſibi:* Non *eſt ſibi curæ* Reſ*publica, non rectè dicimus, pro,* Ego *dixi ei:* Non *eſt ei curæ* Reſ*publica.* Similiter *non dicimus,* Vidi Ciceronem, *& fratrem ſuum: ſed, fratrem eius.* È *contrario non rectè dicitur,* Omnes *à te expectant, vt des illis cibum in tempore: quum ſibi dicendum ſit. & tamen quando indifferenter ponitur, ad illius, de quo loquimur, vel ad noſtram perſonam, ſermonem referimus: in quorum primo reciprocatio eſt: alter nullam habet reciprocationem: vt,* Omnes *optant quod ipſis vtile eſt: hîc eſt reciprocatio. nam refertur ad perſonam eius, de quo loquimur.* Sed, Omnes *optant quod ipſis vtile eſt, nulla eſt reciprocatio: nam ad noſtram perſonam refertur.* Aliquando *tamen pro* Sui, *ſiue ſuus, ponitur is, aut ipſe, aut ille, ad euitandam amphiboliam.* Notandum *eſt etiam, quòd* Suus *quandoque ponitur pro proprius: vt,* Velle *ſuum cuique eſt: & interdum additur (ſibi) cuiuſdam feſtiuitatis gratia: vt* Cicero, Suo *ſibi victitant ſucco.* Dicimus *etiã,* Suus *eſt illius mos, ſua eſt illius natura.* Notandum *eſt præ-*

terea, quòd hæc præpoſitio Inter, *id habet peculiare, vt ſi anteceſſerit genitiuus, datiuus, aut ablatiuus, ſemper liceat vti ipſe, & ſui:* Sed *ſi præceſſerit accuſatiuus aut nominatiuus, reciprocum poſtulat: vt* Cicero, Nec *mihi cæterorum indicio videtur ſolùm, ſed etiam ipſorum inter ipſos conſenſu.* Exempla *aliorum apud* Quintilianum *&* Ciceronem *paſſim reperiuntur.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX OMNIVM, QVÆ HI SEX elegantiarũ libri complectuntur. Prior autem numerus paginam, poſterior caput indicat.

A

A cũ uerbis. pag. 56. cap. 166
Ab pag. 25. cap. 66
abdicare 110.402
abhorreo 109.399
abigo 116.431
abs 25.66
abſtinentia 69.222
abuſus pluralis pro ſingulari 40.140
Acceſſio 60.183
acceſſus ibidem. eodem
accipere 114.424
accola 72.235
accuſo 115.419.b
aceruus 71.230
acinus 66.209
acta 61.190
actio 60.183
actor 67.213
actus 60.183
Adeò 30.82
ad hoc, idẽ quod præterea. 18.41
adiectiua in tilis, xilis & ſilis pag. 8. cap. 10
adiectiuum vbi collocandum ſit 45.116
adiectiua in bundus 9.11
adoro 88.309
ad me ſpectat 101.403
ad mortem ſpectat ibidem
admoueo 107.388
adſum 97.349
aduerbia in im 116.436
aduerbia quæ accuſatiuum aſciſcunt. 20.49
aduerſor 104.378. & 107. 388
aduocatus 62.193
adulari 101.364
adulterium 122.461
ad votum 102.368
AEdes 39.105
ædilis 77.265
æquabilis 81.283
æqualis ibidem. eodem
æſtimo 90.318
Affectio & affectus 76.259
affectus 93.333
afficio iniuria 59.181
affinitas genitiui & ablatiui 42.116
Age, ſingularem numerum deſiderat. 21.53
agedum ibidem. eodem
agere 124.467
agere gratias 95.339
agite, numerum pluralem deſiderat 21.53
Alere & ali 96.344
aliquis 55.163

alius de pluribus dicitur: alter de duobus tantum 54.159
alumnus 113.417
Amare 94.335
amare inter ſe 57.173
amare inuicem ibidem.eodem
amare mutuò ibidem.eodem
ambitio, ambitus 64.200
ambulare 104.377
amor 73.243
amoueo 107.388
An 21.54
animaduerto 56.168
animus 83.289
antehac 34.94
antiqui 61.186
Apparo 100.362
appendo 104.380
appeto 87.305
apud te 124.470
Arbor 66.208
arceo 116.432
armiger 113.417
aruum 72.236
Aſciſco 106.384
aſſentari 101.364
aſſeuerare 106.385
aſſurgo 88.310
Atque 35.96
Audio 49.142. & 92.327
aue 119.446
auerſor 104.378. & 107.388
auis 70.226
aula 67.215
auſculto 49.142
aut 21.54
autem 24.61
autor 67.213

B

Bacca 66.20
barba 116.430
Beatus 84.295
bellum 73.244
bene 33.90
bene agi cum aliquo 109.400
Blandiri 101.364
Bonitas 81.281
bonum ibidem.eodem
Bractea 75.255
Bucca 71.233

C

Calumnia 123.465
campus 72.236
candere 115.428
capere ſpem 111.409
capitale 83.290
caritas 73.243
caro 75.254
carpere 114.423
caſtrum 64.201
catulus 75.252
cauillatio 123.465
cauſari 101.365
cælebs 82.287
Celebris 80.277
cenſor 77.265
centurio 120.448
certamen 74.244

certè 24.64
certum eſt 91.325
ceruix 68.217
ceu 28.73
Charitas 73.243
Circiter, præpoſitio 19.44
circunſiſto 96.347
circunſto ibidem.eodem
citare 113.418
citrò 35.95
Clarus 79.272
cliens 62.193
cliuus 70.224
Cænaculum, & Cænatio 65.203
cogito 90.318
collis 69.224
collum 68.218
Comes 68.219
comitor 103.375
cõmeatus 68.216. & 40.109
commentarium 65.202
commentum ibidem.eodem
committo vt 53.156. & 28.75
comparatiui proprietas 12.21
comparatiui vis 9.14
comparatiuus ad duo eiuſdem generis refertur 10.15
comperi 90.322
compertum 90.322
complura 79.271
compoſita à Per 92.328
cõpoſita à quis, & à qui 42.115
compoſita à ſomnus 12.22
conciliare amorem 98.352
concio 70.228
conciuis 77.264
conclaue 67.215
condictio 74.248
conditio ibidem.eodem
conducit 49.141
confero cum in & ad 48.147
confido 96.345
conſtare 107.392
coniecto 111.407
coniecturo ibidem.eodem
coniuro 90.318
conſciſco 106.384
conſolatio 76.258
conſpiro 90.318
conſterno 107.389
conſternor ibidem.eodem
conſul 77.265
conſulo te & tibi 94.338
conſultor, conſultus ibidem
contendo 113.320
continentia & abſtinentia 69.222
continuò 25.67
cõtrahere æs alienum. 107.392
conturbo 126.477
conuenit hoc nobis, & conuenit inter nos 110.404
conuitium 124.468
copia 74.246
cordi eſt 90.320
corporalis 80.279

corporeus ibidem.eodem
corpus 75.254
contentio 114.420
conterraneus 77.264
coxa 73.238
Crapulor 98.353
crepitus 66.210
crimen 73.239
crudus 84.297
Cuias 18.40
culpa 61.187
cum,tum 23.59
cum,præpoſitio 19.43
cunctus poſitiuo iungitur 10.16
cur de futuro,non per verbum futuri temporis authores interdum loquantur 50.148
curſus 114.422

D

Dapes 65.204
datiuus & accuſatiuus ſequentes caſum relatiui 43.120
De cum verbis 56.166
debello 100.360
decarchus 120.448
decedo 108.365
decet 49.141
declamator 77.262
declaro 94.336
decor 63.196
decurio 119.448
decus 63.196
dedecus ibidem.eodem
dediſco 85.299
deduco 103.375
de eadem perſona tanquam de alia 55.164
defectio & defectus 61.187
defeſſus 81.380
defungi 95.142
defungor 86
deinceps 34.94
deligere 99.308
demum,denique 117.347
deorſum 35.95
depectus 126.479
deprecor 118.440
deſcendo in campum, in prælium 93.334
deſciſco 106.384
deſipio 86.301
deturbare 106.387.& 126.47
Dicere legem 96.346
dicere ſententiam ibidem
dico 87.308
dictio reſpondens ſubſtantiuo ſequenti & antecedēti 43.119
dictito,dicto 87.308
dies 77.261
diligere 94.335
diminutiua ab er, & eorum varia formatio 7.6
diminutiua in aſter 7.7
diminutiuorum in culus, tertiæ, quartæ & quintæ declinationis,formatio 7.5
diſco 85.299

diſſoluere 107.392
diſturbare 106.387. & 126.477
diu 27.72
diutinus, diuturnus 82.288
Docilis 118.442
do, feróque auxilium, & non opem do, dicimus 55.165
do fidem 89.314
do tibi, & ad te literas 48.16
domus 41.114
donec 31.86
dono tibi, & dono te 49.143
Dudum 27.71
dum 31.86
duntaxat 29.79

E

Ecce, eccum, ellum, hem 21.52
Edicere 101.366
ediſco 85.299
Effingere 95.341
Eleuo 104.349
eligere 99.358
elogium 74.347
En & Ecce nominatiuo & accuſatiuo iunguntur 21.52
Eò 19.17. & 30.82
Epulum, Epulæ 65.204
E republica 90.317
ergo 30.91
eripio 105.381
Eſca 72.254
Et, cũ aliis particulis. 35.96
& geminatum 112.415
etſi 23.58
Euentus 8.9
Ex, cum verbis 56.166
exaudio 92.327
exautorare 126.478
excandeſcere 115.428
excogito 90.318. & 86.300
excubiæ 75.250
excuſare 101.365
exemplar 120.449
exemplum ibidem. eodem
exhæredare 110.402
exhorreo 109.399
exiſtimo 90.318
exiſto 97.351
exoro 92.327
expendo 104.380
expeto 47.305
explicit 49.141
explodo 87.317
exploratum eſt 91.322
exprobrare 122.460
expugno 100.360
ex ſententia 102.368
ex tempore 90.317
exto 97.37
exturbare 106.397

F

Facies 63.194
facilè 12.20
facio orationem, non dicimus 108.395
facio iniuriam 59.181
facio te certiorem 57.174

facio,vt 28.75
factio 74.245
fama 61.188
fatuus 84.294
Femen 73.238
femur ibidem. eodem
ferè 32.86
fero 102.398
feror 80.278
ferre ſentẽtiam,legem 96.346
ferri 123.467
ferrumino 125.474
ferruminatio ibidem.eodem
ferus & ferox 80.278
feſſus 18.280
feſtiuus 79.273
feſtus ibidem. eodem
Ficus 6.4
filius 56.169
fingere 95.341
Flagellare 123.463
flagitium 73.239
flagito 98.356
flere 97.350
fœnero 91.323
Fœlix ibidẽ,295.& 78.268
fœneror ibidem.eodem
fœnus 73.240
fœtus 75.252
folia 74.249
fore 13.28
formatio diminutiuorum primi & ſecundi declinatus 6.5
formæ verborum quinque 13.

24.25.26
Fremitus 66.210
frequens 80.277
frondes 74.249
fruges 65.205
fruor 86.303
frutex 66.208
Fundus 121.457
fungor 86.303
fuſtigare 123.463

G

Gaudere 115.429
Gemere 97.250
gemma 126.480
gemmula ibidem. eodem
gena 71.233
genitor 59.169
gerundia 14.29
geſta 62.190
Gradum facere 91.324
gratificari 103.374
grator,gratulor 95.340
gratum facere 103.374
gratus 79.270
graue 114.425
gremium 68.218

H

Habeo fidem 89.314
habeo polliceri 108.396
habere gratias 95.339
habere orationem 198.395
habes quæ ſentiam 112.412
Hei,datiuum poſtulat 20.48
heu & heuheu ibidem.eodem

Hic 18.41
hic de propinquiore dicitur 18.42
hic non eſt illi cōparādus 57.171
hinnulus 75.252
hio 89.313
hiſco 89.313
hiſtrio 67.212
Hortus 40.107
hoſpes 77.263
Huc 35.95
huc,iſtuc,illuc 18.41
Hypotheca 124.475
I
Iam,Iamiam 31.85
iam olim 27.72
iamdudum 27.71
iampridem ibidem.eodem
ianua 61.189
Id & quod cum alio antecedente 55.161
idem, compoſitum ab is & demum 18.42
Igitur 30.81
Ille 18.41
illuc 35.95
Impendo 104.380
imperare 101.366
impleo 47.133
impono tibi 113.416
imprimis 57.170
Imprudens 79.275
In animo eſt 90.320
in annos 125.476
in auro & in æs incido 43.113
incedere 104.377
inceſtum,inceſtus 122.462
inciſum 115.427
incola 72.235
incumbo 49.144
incuſo 115.429.b
indico 101.366
in diem,in dies 85.298
indoles 70.227
indulgentia 64.199
infenſus 83.291
infeſtus ibidem.eodem
inficiator 115.416
infidus 82.284
infinitiuus Eſſe 44.123
infinitiuus interiectus vel poſtpoſitus 44.121
infra 33.91
ingredior 94.337
ingurgito 98.353
inhibeo 89.302
in horam & in horas 85.298
in manu,& in manibus 93.332
in mentem venit 111.410
inire gratiam 98.352
innocuus 116.433
innoxius ibidem.eodem
inſtar 110.434
inſtituta,inſtitutiones 62.192
inſtratum 122.462
inſtruo 85.299
intendo 115.420
intentio 114.420

inter agendum, inter actionem 112.414
intercedo 57.171
intercludo 172.367
interdico 48.139
interrogo 99.359
interuertere 90.321
intra 33.91
introcludo 301.267
Inuenio 86.300
Inuertere 90.321
inueſtigo 96.343
inuicem 36.97
Iocus 63.197
Is de remotiore dicitur 8.41
iſte 8.41
Ita 10.17.& 34.91
iter facere 102.369
iter habere ibidem.eodem
iterum 34.94
Iubere 101.366
Iucundus 79.270
iugerum 8.9
iugulus 68.217
iugum 70.224
iura ibidem.229
iuſſus 8.9
iuuat. 49.141

L

Labo,labor 99.357
laceſſo 89.312
lætari 115.429.ii
lætus ibidem.eodem
lamentari 67.350
lamina 75.255
lapilli 126.48
lapſus 81.28
laſſus ibidem.eodem
latebræ 76.26
latibula ibidem.eodem
laxus 81.280
Leges & iura 70.229
leuo 104.379
Liber 121.459
liberi 39.106
libertas 64.198
libertinus 60.181
libertus ibidem.eodem
licentia 64.198
licet 23.58
liceor,licitor 91.326
litera 39.104
Loco patris, & In locum patris 59.17
locorum quorundam nomina 78.266
longè 12.20
Lubricus 81.282
luctus 73.241
lucus 72.237
ludicrum 5.5
ludus 63.197
lues 75.253

M

Macellum 68.216
maiores 124.471
malè 33.90.& 58.177
malleolus 66.207

mandare 101.366
maneo 107.39
marinus 80.276
maritimus ibidem.eodem
maturus 82.288
maxilla 71.233
Mea 37.100
me cum infinitiuo & accuſatiuo 20.51
mei paßiuè ſumitur 16.38
meme 18.39
memini 53.158
memoria 59.180
memoriter ibidem.eodem
mereo 83.291
mereor 109.397
meretrix 83.291
meritoria taberna 83.291
meßis 65.206
Migrare 108.393
mihi & tibi 52.152
mille 37.102
miles 120.448
mimus 67.212
miniſterium 71.231
minores 124.471
miror 107.399
Molle opus 84.296
mollis homo ibidem.eodem
monumentum 76.256
moratus 82.285
more maiorum comparatum eſt 112.413
morigeratus 82.285
morigerus ibidem.eodem
moror 107.390
Mulier 121.454
multò 12.20
munus 121.455
munimentum 76.256
murus 62.189
mutare 105.382
mutuò 36.97
mutuo & mutuór 91.323
Myſterium & miniſterium 71.231

N

Nam, Nanque 34.63
natale & natalis 62.191
natales ibidem.eodem
natus 56.169
næ 118.445
Ne 21.54
necatus, nectus 118.44
ne dicam 44.121
nedum 22.55
negationes tres aliquando non plus efficiũt, quàm duæ 45.127
negationum elegantia 49.129
negotium exhibere & facere 16.386
nempe 24.64
Nihil ad 59.179
nimirum 24.64
ningit 48.140
niſi 22.56
niſi, quàm, & præterquam vbi deceant 52.154

Nomina diminutiua 6.5
nomina in eus, aceus, & tius 9.13
nomina in icus, quus, à Dico, Facio & Loquor 9.12
nomina quæ in rius & in riũ deſinunt, & eorum natura 7.8
nomina quædam in io 58.176
nomina quorum datiui, ablatiuique plurales exeunt in abus pag. 5. cap. 1
nominatiuus pro vocatiuo, vel contrà 44.124
nominalium, criminalium & pœnalium regimen 47.132
non me præterit ibidem. eodem
non modò 22.55
non quia 18.74
non quòd ibidem. eodem
non ſolùm, non tantùm 22.55
noſtras 18.40
noualis 122.458
nox 77.261
noxa 120.451
noxæ dedere ibidem. eodem
nudiuſtertius 26.70
nudiuſquartus ibidem. eodem
numen 118.443
numeri ſpecies quatuor 38.103
numerus compoſitus 41.113
nunc 33.89
nuncius, nuncium 116.431
nutriri 96.344
nux 66.209

O

O aduerbium prolatum vel omiſſum 20.50
Obire 95.342
obruo 98.353
obſeruatio ibidem. eodem
obſes 119.447
obuius 110.405
obuio tibi ibidem. eodem
Occupatio, Occupo 98.355
Odor 40.108
Officina, & taberna 70.225
officium & officia 67.211
Olim 27.72
Omnis cum poſitiuo 10.16
opera 77.277
oppetere 95.342
oppidum 24.201
oppignero 125.473
opprobrium 122.460
opus 76.257
Orator 77.262
orbus 81.287
ordo 63.165
orphanus 67.114
ortus & oriundus 53.157
Oſtendere metum 102.370
otium 73.242

P

Pacatus 103.371
pacificatus ibidem. eodem
paciſcor 126.479
paraſitus 71.232
parem eſſe 103.372

paria facere ibidem.eodem
parẽtheſis per quis & is 58.175
paries 62.189
participia in ens quæ in ſubſtantiuum tranſeunt 16.35
participii compendium 15.34
participiũ futuri tẽporis 16.36
participium præſentis pro præterito 15.33
participium præteriti temporis ſignificans actionem, & præſentis paſſionem 15.32
partio & partior 93.331
parui & magni, cum intereſt & refert 37.101
parumper 32.86
paſco, paſcor 72.234
paſſim 116.435
paſtio, paſtus 72.234
pater 56.169
patres 124.471
patronus 62.193
pauliſper 32.86
Pecus, pecoris 69.223
pedes 120.448
pecus, pecudis 69.223
peius 33.90
pellex 123.464
penes te 124.470
penuria 73.243
penus 68.216. & 124.472
per & perquàm 11.19
percontor 99.359
peregrinus 77.263
perfidus 82.284
perinde 32.88
perlego 92.328
permiſſus 8.9
perpendo 104.280
perſcribo 92.328
perſequor 93.330
perſona 120.450
perturbo 126.477
perueſtigo 96.343
peſſimè 33.90
peſtis 75.253
peto 98.356
petulans 82.286
Pignero 125.473
pignus 124.473
Placatus 103.371
placeo 107.390
plangere 97.350
pleriſque 79.271
plorare 97.350
pluit 48.140
plumbo, as 125.474
plumbatura ibidem.eodem
plura 79.279
pluris & minoris 36.99
Poculum 121.459
polliceor 91.326
pompa 68.220
pomum 96.209
pondo 41.112
porrò 24.61
porta 62.189
portari 123.467

poſco 98.356
poſſeſſio 121.457
poſteri 124.471
poſthac 34.94
poſtridie 26.70
poſtridie, aduerb. 20.47
poſtulo 98.356
potitus 47.134
potus, potio 92.185
Pre & Per differũt 29.329
præ me, te, ſe, fero, duco, gero 89.315
præceptum, & præceptiones 62.192
præcipere 101.366
præclarus 79.272
præcox 82.288
prædia 121.457
præditus 93.333
præeſſe 100.363
prælium 73.244
præparo 100.362
præpoſitiones rationéſque interdum miſcentur 51.150
præripio 105.381
præſens 84.293
præſes 100.363
præſidere ibidem.eodem
præſidium ibidem.eodem
præſto ſum 97.349
prætor 27.266
præuaricator 123.466
precor cum datiuo 108.394
pridie 26.70
pridie, aduerbium 20.47
pridem 27.71
prior & prius 47.131
priſcus 78.267
priſtinus ibidem.eodem
probrum 122.460
procax 82.286
procul 20.48
profectò 24.64
prohibeo 86.302
proinde 32.88
proponere ſpem, metum, præmium 102.370
proſequor 93.330
proſper 78.268
proteruus 82.286
protinus 25.67
prouoco 89.312
prudens 79.275
Pugna 74.244
pullus 75.252
pulſare 123.452
pupillus 67.214

Q

Quæſtor 77.265
quàm 11.19
quamobrem 30.81
quanuis 23.58
quando 29.80
quandoquidem ibidem.eodem
quanquam 23.58
quantò 11.18
quantùm cum poſitiuo 11.18
quapropter 30.81

quare ibidem. eodem
quartùm & quartò conſul 54. 159
quaſi 28.73
quatenus 29.80
Queſtus & queſtus cum diphthongo 40.111
Quidem 23.60
quidam 55.163
quin, quinetiam 31.83
quippe 24.64
quis cui 46.130
quiſpiam 55.163
quiſque cum verbo aut participio 54.160
quiſque ſuperlatiuo gaudet 10.16
Quò 10.17
quò & quia 28.74
quòd 29.76.& 22.57
quòd particula facit verbum ſignificans pro ſignificato accipi. 29.77
quot modis vna eadémque res dicatur, & quem finem ſibi quis proponat 111.406
quot modis iubemus 46.128
quotannis 125.476
quotus 10.16
quum 29.76

R

Rapio 105.381
rationem habere 89.311
rationem conſtare. ibidem. eodem
Re in compoſitione 100.361
reconciliari 96.352
reduco 103.375
refercio 47.132
refero 109.398
referre gratias 95.339
refragor 75.251
relatiui cum antecedente diſcordia 48.118
reperio 86.300
repetundarum & repetundis 16.37
repignero 125.473
reſciſcere 117.439
reſipiſco 86.301
Rhetor 77.262
Rixa 126.477
Rumor 61.188
rurſus 34.94

S

Salio 110.400
ſaltus 72.237
ſaluber 78.268
ſalue 119.446
ſalto 110.401
ſane 24.64
ſanus 78.269
ſarcina 71.230
ſarmentum 66.207
ſatiare, ſaturare 104.376
Scala 41.112
ſciens 79.275
ſcilicet 39.98

ſciſcitor	99.359	*ſtolidus*	84.294
ſcurra & paraſitus	71.232	*ſtrages*	71.230
Secundum, quatuor modis vſurpatur	31.84	*ſtragula*	122.462
		ſtrepitus	66.210
ſed, cum relatiuo	54.161	*ſtrideo*	ibidem
ſedeo	87.304	*ſtrues*	71.230
ſeditio	74.245	*ſtultus*	84.294
ſeges	65.205	*ſtuprum*	122.461
ſementis	65.205	Sua	37.100
ſenator	77.265	*ſub tamen, intelligitur quamuis* 29.78	
ſeneĉta, ſeneĉtus, ſenium.	69.221		
ſenes	61.186	*ſubinde*	32.88
ſeries	63.195	*ſubleuo*	104.379
ſerotinus	282.288	*ſuburbana*	64.201
ſeruus veterator & nouitius 125.475		*ſubter*	33.91
		ſui	16.38. & 24.63
ſeſe	18.39	*ſui & ſuus*	127.480
Sic	54.92	*ſuffragium*	75.251
ſicut	28.73	*ſuffragor*	ibidem. eodem
ſido	87.304	*ſumo*	113.419
ſimul	29.69	*ſuper*	33.21
ſinus	68.218	*ſuperlatiuus ad plura refertur* 10.15	
ſiquidem	24.62		
ſitus	118.441	*ſupina*	14.29
ſocius	68.219	*ſupinum in u*	15.31
ſodalis	ibidem	*ſupinum in um*	14.30
ſolamen	76.258	*ſupplico*	88.309
ſollicito	103.373	*ſupplodo*	87.307
ſolus	56.167	*ſupra*	33.91
Speĉtaculum	68.220	*ſurſum*	35.95
ſpero	96.345	Sydus	117.438
Statim	25.67	Sylua	72.237
ſtella	117.438	*ſyncerum*	121.455
ſto	87.304		

T

Taberna 70.325
tam & quàm poſitiuis dantur 11.18
tandem 117.437
tandiu & iamdiu 27.72
tamen cum relatiuo 54.161
tanquam 28.73
tanti, quanti cum intereſt & refert 79.101
tanti, quanti cum ſuis compoſitis 36.99
tantiſper 31.86
tantò 11.18
tantum abeſt 16.68
tantum poſitiuo gaudet 11.18
Temere 32.87
tempus in accuſatiuo, vel in ablatiuo ponitur 52.155
tenebræ 77.261
tenus præp. rerũ geminatarum, vel nominis tantum pluralis numeri genitiuum habet 19.46
tenus in oratione poſtponi ſolet 19.45
tergiuerſator 123.466
teſtamentum 120.452
te te 18.39
Titubare 105.382
Tollo 88.311
Traiicio 48.135
tranſfero 53.155
triclinium 67.215
tranſmarinus 80.276
Tua 37.100
tui paſſiuè ſignificat 16.38
tum 13.59
turba 126.477

V

Vaco 105.383
vacillare 105.382
væ datiuo iungitur 10.41
valde 11.10
vale 119.446
valeo ibidem
vas 119.447
Vbi infinitiuo, vbi gerundio potius vtendum ſit 13.27
vbi nitidius vtimur actiuo, vbi paſſiuo 51.149
Ve 21.54
vectigal 73.240
vel ibidem
velut 28.73
veluti ibidem
venale 79.274
venia 64.199
vendibile 79.274
vendico 87.306
verbalia in atio 5.2
verberare 113.463
verborum quorundam imperſonalium regimen 50.146
verborum diuerſum variúmque regimen cum diuerſa ſimilíve ſignificatione 50.145

verbum debet ſequi vltimum ſuppoſitum 45.125
verbum nonnunquam venuſtè in oratione deeſt 50.147
verò 24.61
verſicolor 124.462
verſus, præpoſitio 19.45
veſtigo 96.343
veſtras 18.40
veteres 61.186
Viam facere 102.369
viam munire ibidem
vicinia 64.201
viciſſim 36.97
victus 124.472
vicus 64.201
videlicet 36.98
videas, videre licet 112.411
videbr 52.151
vigiliæ 75.250
vindico 87.306
Vllus 55.163
vltrò 35.95
vnus 56.167
volo, as 114.422
volucris 70.226
volumen 122.459
Vſquam 116.435
vſque 30.81
vſque, præpoſitio 19.45
vſurpo 96.348
Vt 25.65
vt eleganter cum ſuperlatiuo 20.17
vtèr vtri 46.130
vterque cum verbo aut participio 54.106
vtique 24.64
vtor 86.303
vtpote 24.64
Vultus 63.194

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE